

Ovidius Naso (P.) [Selections]
K

Electa Minora

Ex OVIDIO, TIBULLO, ET PROPERTIO,

Usui Scholæ Etonensis.

LONDINI,
Impensis *Tho. Newborough* ad insigne
Pilæ aureæ in Cœmeterio D. *Pauli*; &
Joan. Slatter Etonæ, MDCCV.

BRITISH MUSEUM

EX

OVIDIO.

DIcebam, [1] Desiste tuos medicare capillos.
[2] Tingere quam possis, jam tibi nulla coma est.
At, si passa fores, quid erat [3] spatiosius illis?
Contigerant imum, qua patet usque, latus.
Quid, quod erant tenues, & quos ornare timeres;
Vela colorati qualia Seres habent?
Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum leve desertâ sub trabe nectit opus?
Nec tamen ater erat, nec erat [4] tamen aureus illis,
Sed, quamvis neuter, mistus uterque color.
Qualem clivosæ madidis in vallibus Idæ
Ardua [5] derepto cortice cedrus habet.

[1] *Sic ante Editionem N. Heinsii, quos vidimus, libri.* Ista, Medicare tuos desiste.

[2] *Puto rectius* fingere. *ne bis idem dicat; jam enim* medicare capillos *præcessit.* &c. *Heinsius. Et nostra Membrana* Pectere, *pro* Tingere. *verùm id quoque nihili videtur, quia omnino idem bis dicendum erat.*

[3] *Dedit Heinsius è quatuor libris, pro* speciosius.

[4] *Al.* tamen aureus ille. *vulg.* color aureus ille, *vel* illis.

[5] *Pro* direpto *fecit Heinsius ex cod. Puteaneo. Sed maluit* derepta: *quia in opt. cod. Palatino legerat* directa. *Ego vero illinc excudi debere credo* destricta: *præsertim cum versu ab hoc septimo ista vox* derepta *nobis recurrat.*

Adde, quod & dociles, & centum flexibus apti,
Et tibi nullius cauſa doloris erant.
Non acus abrupit, non [1] vallum pectinis, illos:
Ornatrix tuto corpore ſemper erat.
Ante meos ſæpe eſt oculos ornata; nec unquam
Brachia [2] dereptâ ſaucia fecit acu.
Sæpe etiam, nondum digeſtis mane capillis,
Purpureo jacuit [3] ſemiſupina toro.

---

[1] *MS. Pircheimeri, dein Arondelianus:* vallus pectinis. *Neque auſim rejicere: nam* vallum *quam cum pectine habet convenientiam? Gronov. Obſ. l. 3. c. 18. Diſpiciamus igitur, num ſatis iſta conveniant: & videor quidem videre, ut vallos è vallo prominentes & quaſi enatos, ità dentes è ſolida pectinis parte rareſcere. Sic* vallum pectinis, *pecten erit totus, cum capulo dentes: quippe vallum ipſum, terra eſt aggeſta cum ſuis ſudibus. Probavit tamen, fateor, Gronovius* vallum *genere maſculino aliquando haberi pro tota munitione. Quum igitur utrumvis ſeu* vallum *ſeu* vallus *hìc legi poſſit, contra tantum virum tantumque ejus ſubſcriptorem* vallum *reſtituere coactus ſum, quia inſuaviorem nobis verſum fecerunt, nec librum niſi ſingularem attulerunt.*

[2] *Sic pro* direpta *(quod in pleriſque) lib. unus. Sed nonnulli, inquit Heinſ.* directa; *unde ille conjiciebat* correpta.

[3] *Sic Heinſius ex auctoritate meliorum codicum, utque metro conſuleretur; prima enim, inquit, in* ſopita *haud eſt ut poſſit corripi. Aliquantum tamen indubitamus reſpectu verſus iſtius,* Theſea prenſvras ſemiſopita manus, 10 *Epiſt.* 10 *v. Aut ſic enim, aut* ſemiſepulta, *illic libri omnes. Sed illic quoque* [ſemiſupina] *conjecturam Heinſii loco, quem occupaverat, non movimus, hôc maximè perſuaſi, quòd & alibi permutatas haſce voces offendiſſe ſe teſtatus ſit, idque ubi nulla dubitationis anſa; codices ſc. quoſdam* ſemiſopita *habere in iſtoc verſu Amor.* 3. Cùm jacet in dextrum ſemiſupina latus. *Alioqui non male hic loco conveniret* τὸ ſemiſopita. *Sic exhibebit & putaum & Bacchen dormientes. id autem his à furore ac labore*

Tum

Tum quoq; erat neglecta decens: ut [1] Thracia Bac-
Cum temere in viridi gramine laſſa jacet. [che,
[2] Cum graciles eſſent tamen, & lanuginis inſtar;
Heu [3] mala vexatæ quanta tulere comæ!
Quam ſe [4] præbuerant ferro patienter & igni;
Ut fieret torto [5] flexilis orbe ſinus!
Clamabam, Scelus eſt, iſtos ſcelus urere crines.
Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo.
Vim procul hinc remove. non eſt qui debeat uri;
Erudit admotas ipſe capillus acus.
Formoſæ periere comæ: quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.

---

uſitatum. Horat. l. 3. Od. 25. non ſecùs in jugis Exſomnis ſtupet Evias, Hebrum proſpiciens, & nive candidam Thracen, ac pede barbaro Luſtratam Rhodopen.

[1] *Sic reddidi. nam factum erat uno ex libro* Threcia, *verbum, quantum quidem videre contigit, neque Græcum neque Latinum. Sed* Thracius *apud Virgilium aliòſque reperitur, ſed & noſtrum Met. 6. v. 661.* Thracius ingenti menſas clamore repellit. *& l. 11. v. 92.* Cui Thracius Orpheus Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo. *& Epiſt. 1.* Thracia nocturno tangere caſtra dolo.

[2] *Non ſatisfaciunt numeri. Sarravianus & Vaticanus unus,* tanquam lanuginis. *Mentelianus* tantum, *cum uno Mediceo. unus meus* cum & lanugines. *Excerpta Jureti,* tamen & ſunt luminis inſtar. *Puto ſcribendum,* Tam graciles læveſque tamen lanuginis inſtar. *Heinſius.*

[3] *Al.* male.

[4] *Malim* præbuerunt. *nam* præbuerint *duo libri. Vide Notas Epiſt. 7. Heinſius.*

[5] *Vulg.* nexilis. *noſtræ membr.* tortilis. *Arondelianus* plexilis. *multi ex ſcriptis* flexilis; *quod Idem adductis ſimilibus auctorum locis probavit.*

Illis contulerim, quas quondam nuda [1] Dione
Pingitur humenti ſuſtinuiſſe manu.
Quid male [2] diſpoſitos quereris periiſſe capillos?
Quid ſpeculum mœſtâ ponis, inepta, manu?
Non bene conſuetis à te ſpectaris ocellis.
Ut placeas, debes immemor eſſe tui.
Non te cantatæ læſerunt pellicis herbæ;
[3] Non anus Hæmoniâ perfida lavit aquâ.
[4] Nec tibi vis morbi nocuit; (procul omen abeſto)
[4] Nec minuit denſas invida lingua comas.

---

[1] *Venus, ab Apelle picta, è mari emergens, quam vocant,* ἀναδυομένην.

[2] *Vulg.* compoſitos.

[3] *Tacent hîc interpretes, quos certus ſum nihil horum intellexiſſe. Mihi quidem iſta magicæ artis ſpecies prorſus ignota eſt.* &c. *Libri nonnulli veteres ab aliis inſpecti, tum ex noſtris Neapolitanus, Palatinus optimæ notæ, & meus chartaceus,* læſit aqua. *Opinor ſcribendum,* Non anus Hæmoniâ perfida læſit aeu. *ut ad defixiones magicas referatur.* &c. *Heinſius. At defixionibus iſtis nullus hîc locus; neque ſanè non intelligi poteſt vulgata lectio. Aliquot adſcribam loca, quibus aquæ magicæ mentio fit. Noſter Met. 7. v. 261.* Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulfure luſtrat. Interea validum poſito medicamen aëno Fervet & exſultat. *His conjungendi verſus l. 10.* Seu furor eſt; habeo quæ carmine ſanet, & herbis: Sive aliquis nocuit; magico luſtrabere ritu. *l. 14. v. 299.* Spargimur innocuæ ſuccis melioribus herbæ, *&c. Horat. In Canidiam.* At expedita Sagana, per totam domum Spargens Avernales aquas, *&c. Virg. Æneid. 4. v. 512.* Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.

[4] *Al.* Non. *& verſu quinto* Tuta *pro* Culta; *quas voces frequenter in libris antiquis confuſas teſtatur Heinſius.*

Facta

Facta manu culpâque tuâ diſpendia ſentis.
Ipſa dabas capiti miſta venena tuo.
Nunc tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O quam ſæpe, comas aliquo mirante, rubebis;
Et dices, Emptâ nunc ego merce probor!
Neſcio quam pro me laudat nec iſte [1] Sygambram;
[2] Fama tamen memini cum fuit iſta mei.
Me miſerum! lacrymas male continet; oraq; dextra
Protegit, ingenuas picta rubore genas.
Suſtinet antiquos gremio [3] ſpectare capillos,
(Hei mihi!) non illo munera digna loco.
Collige cum vultu mentem. reparabile damnum
Poſtmodo nativâ conſpiciere comâ. [eſt.

---

[1] Sicambram] *Sarravianus* Sycambram. *Puteaneus* Sygambram. *quæ vera ſcriptura. Sic & in Claudiani veterrimo codice ſcribebatur. Ptolemæo* Σύγαμβροι, Σύγαμβροι *Straboni ſunt.* &c. *Idem.*

2 iſta mea] mei *rectius tres ſcripti. Neapolitanus* Forma. *ut & Regius. Forte,* Forma tamen memini cum fuit iſta meis. *Nimirum comis. quod præceſſerat. Idem.*

[3] ſpectatque] ſpectare *ſex ſcripti, cum excerptis Jureti, Idem. Addo membranas noſtras veteres.*

QUid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos;
Ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum ſtrenua ſuſtinet ætas,
Præmia militiæ pulverulenta ſequi:
[1] Nec me verboſas leges ediſcere: nec me
Ingrato vocem proſtituiſſe foro.
Mortale eſt, quod quæris, opus. mihi fama perennis
Quæritur: in toto ſemper ut orbe canar.
Vivet Mæonides, Tenedos dum ſtabit & Ide;
Dum rapidas Simoïs in mare volvet aquas.
Vivet & Aſcræus, dum muſtis uva tumebit;
Dum cadet incurva falce reſecta [2] Ceres.
Battiades toto ſemper cantabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.
Nulla Sophoclèo veniet jactura cothurno.
Cum Sole & Luna ſemper Aratus erit.
Dum fallax ſervus, durus pater, improba lena
[3] Vivent, dum meretrix blanda; Menandros erit.
Ennius arte carens, animoſique Accius oris,
Caſurum nullo tempore nomen habent.
[4] Varronem primamque ratem quæ [5] neſciat ætas,
Aureaque Æſonio terga petita duci?

---

[1] *Al.* Non me verboſas leges ediſcere: non me. *Al.* Non me verb. l. ed. nec me. *Verſu prox. vulg.* voces.

[2] ſeges. *al. mox*, Battiades ſemper toto. *edit. Heinſii.*

[3] *Legitur quoque*, Vixerit: &. *in membr. noſtris* Vivet erit. *& alibi*, Vivet, dum. *Quam habes lectionem dedit è tribus libris Heinſius.*

[4] *Atacinum.*

[5] Neſciet. *vulg.*

Carmina

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucretî,
Exitio terras cum dabit una dies.
Tityrus, & [1] ſegetes, Æneïaque arma legentur;
Roma, triumphati dum caput orbis [2] eris.
Donec erunt ignes arcuſque Cupidinis arma,
Diſcentur numeri, culte Tibulle, tui.
Gallus & Heſperiis, & Gallus notus Eoïs,
Et ſua cum Gallo nota Lycoris erit.
Ergo, cum ſilices, cum dens patientis aratri,
Depereant ævo, carmina morte carent.
Cedant carminibus Reges, Regumque triumphi:
Cedat & auriferi ripa [3] beata Tagi.
Vilià miretur vulgus. mihi flavus Apollo
Pocula Caſtaliâ plena miniſtret aquâ.
Suſtineamque com[a] metuentem frigora myrtum:
[4] Atque à ſollicito multus amante legar.
Paſcitur in vivis Livor: poſt fata quieſcit.
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo, etiam cum me ſupremus [5] adederit ignis,
Vivam, parſque mei [6] multa ſuperſtes erit.

---

[1] *Al.* fruges.

[2] erit] eris *optimus Palatinus & unus Moreti pro diverſa lectione. Heinſius. Sic etiam Membranæ veteres noſtræ.*

[3] benigna *in multis.*

[4] *Plerique* Atque ita ſoll.

[5] *Pro* aduſſerit *ex uno libro Heinſius.*

[6] *Al.* magna. *ſed poſthabui propter Horatii in eadem re verſiculum, (quem adduxit Berſmannus)* Non omnis moriar: multaque pars mei Vitabit Libitinam.

PSittacus, Eois [1] imitatrix ales ab Indis,
Occidit. exequias [2] ite frequenter aves.
Ite, piæ volucres; & plangite pectora pennis;
Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro mœstis lanietur pluma capillis:
Pro longâ resonent carmina vestra tubâ.
Quid scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni?
Expleta est annis ista querela suis.
Alitis in raræ miserum [3] devertite funus.

---

[1] *Ita Heins. è septem aut octo libris: & Bersmann. ait libr. vet. habere* Eois imitatrix missus ab Indis. *Vulg.* ales mihi missus ab. *& nostr. membr.* tibi missus. *Ciofanus autem ex uno MS.* missus ab oris. *atque adeo maximè placet, quod doctus aliquis adscripsit margini libri quondam sui:* MS. Scal. *Ps. Eo. imitatrix ales ab oris.*

[2] *Pro vulg.* ferte *Carrio, & ex aliquot libris Heins. Unicè confirmat Iteratio,* Ite, piæ volucres. *nec vulgata Latinitatem defendit satis exemplum Prudentii. Sequenti versu lib. unus* passis plangite pennis.

[3] Divertite] devertite *scripti. Lege* devertere. *ad Philomelam enim sermo est. quod ex versu proxime sequenti satis apparet. Art. Amat.* II. Docta quid ad medicas Erato deverteris artes? *ita codices vetusti. Met. lib.* IX. Inferior virtute meas devertor ad artes. *Pont.* IV. *El.* XIV. Ad veteres scopulos iterum devertor. *Virgil.* Castaliam molli devertitur orbita clivo. *quomodo omnes vetusti codices, quos ego ac Pierius Valerianus inspeximus. Suetonius in Tiberio cap.* XII. nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin devertereţur Rhodum. *ita scripta exemplaria. atque ita in Priapeis quoque reponendum,* Huc, huc, quisquis es, in Dei salacis Deverti grave ne puta sacellum. Deverticulum *in veterrimis Prudentii codicibus libro* II. *contra Symmachum. Malim etiam* Alitis in caræ *quam* raræ. *quia mox sequitur,* rari forma coloris. *Heinsius.*

Magna,

Magna, ſed [1] antiqui cauſa doloris Itys.
Omnes, quæ liquido [2] libratis in aëre curſus;
Tu tamen ante alias, turtur [3] amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vitâ,
Et ſtetit ad finem [4] longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico juvenis [5] Phocæus [6] Oreſtæ;
Hoc tibi, dum licuit, Pſittace, turtur erat.
Quid tamen iſta fides? quid rari forma coloris?
Quid vox mutandis ingenioſa ſonis?
Quid juvat, ut datus es, noſtræ placuiſſe puellæ?
Infelix avium gloria, nempe jaces.
Tu poteras [7] fragiles pennis hebetare ſmaragdos,
Tincta gerens rubro Punica roſtra croco.
Non fuit in terris vocum [8] ſimulacior ales:
Reddebas blæſo tam bene verba ſono.
Raptus es invidiâ. [9] non tu fera bella movebas:
Garrulus, & placidæ pacis amator eras.

---

[1] antiqua eſt cauſa] antiqui cauſa *bene Sarravianus.* antique eſt *Neapolitanus corrupte. Idem. Alludunt noſtræ membranæ, ubi legitur* antiqua cauſa *ſine* q̃ eſt.

[2] *Al.* vibratis: *&*, pennas *pro* curſus.

[3] Turtur amica *unus Vaticanus. quomodo dici poſſe notant ad Virgilium veteres Grammatici. Heinſius.*

[4] firma *lib. unus.*

[5] *Pylades.*

[6] Oreſti *plerique.*

[7] *Pro* virides *ſcripti meliores magna ex parte, inquit Heinſ. & ſic membranæ noſtræ* pennis fragiles.

[8] *Idem pro* ſimulantior; *libriſque aliquot, multiſque nominum ejuſdem formæ exemplis apud noſtrum atque alios probavit.*

[9] Nec tu *n. membr. vet. id eſt,* Neque enim. *Tertio, eædem* inter ſe pr. *plerique* inter fera pr. *ſed Vicentina editio cum ſcr. melioribus, uti vides. Quarto, libr. duo* fiant. *alii nonnulli* fient.

Ecce,

Ecce, coturnices inter ſua prælia vivunt:
Forſitan & fiunt inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec præ fermonis amore
In multos[1] poterant ora vacare cibos.
Nux erat eſca tibi, cauſæque papavera[2] ſomni:
Pellebatque ſitim ſimplicis humor aquæ.
Vivit edax vultur,[3] ducenſque per aëra gyros
Miluüs, & pluviæ graculus auctor aquæ.

---

[1] Poteras ora vocare *multi ex ſcriptis* [*cum Vicent. edit.*] *at Puteaneus & Arondelianus* poteras ora vacare. *eleganti Græciſmo. quod & in ſuis Dominicus Marius Niger videtur inveniſſe. Unus Vaticanus* poteras ore vacare. *Heinſius. Revocavi tamen vulgatam, quam corrupiſſe credo vicinitatem* τῶ eras. *Nam iſtarum vocularum ac ſyllabarum ſatias me ceperat quæ proxime præceſſerunt relegentem:* poteras— Reddebas— movebas:— eras. *iterumque* Plenus eras; *& ſtatim* multos poteras.

[2] Somnis *Neapolitanus. Faſt.* IV. —ſomnique papavera cauſas Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer. *Heinſius.*

[3] Ducitque per aëra gyros Milvius] Miluüs *Puteaneus, Arondelianus, & ſex alii,* [*quod & Ciofanus ex duobus ſuis dederat.*] *quomodo paſſim apud noſtrum in optimis exemplaribus. ut Faſt. l.* 3. *bis, & Met.* 2. *ſic & apud Horat. l.* 1. *Epiſt.* 16. *Cæterum lege cum uno Vatic. & Farneſiano* ducenſque per aera gyros. *ſed &* pluviæ graculus augur aquæ *exiſtimo ſcribendum pro* auctor. *Horat. l.* 3. *od.* 17. —aquæ niſi fallit augur Annoſa cornix. *& od.* 37. Imbrium divina avis imminentum. *Poſſet & legi* garrulus augur, *ut de corvo intelligatur, quæ avis imbrium præſaga habetur. Certe* garrulus auctor *eſt in multis ſcriptis. ſed graculus pluvias prædicit apud Avienum in prognoſticis. ſic* auctorem lucis *gallum gallinaceum vocat Propert. l.* 4. *el.* 3. *pro* lucis nuncio. *qui locus notandus,* Tum queror in toto non ſidere pallia lecto, Lucis & auctores non dare carmen aves. *Idem.*

Vivit

Vivit & [1] armiferæ cornix inviſa Minervæ;
Illa quidem ſæclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanæ vocis imago,
Pſittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
Implentur numeris deteriora ſuis.
Triſtia Phyllacidæ Therſites funera vidit:
Jamque cinis, vivis fratribus, Hector erat.
Quid referam timidæ pro te pia vota puellæ;
Vota procelloſo per mare rapta Noto?
Septima lux [2] aderat, non exhibitura ſequentem:
Et ſtabat vacuâ jam tibi Parca colo.
Nec tamen ignavo ſtupuerunt verba palato.
Clamavit moriens lingua, Corinna, vale.
Colle ſub Elyſio nigrâ nemus ilice [3] frondens,
Udaque perpetuo gramine terra, viret.
Si qua fides dubiis; volucrum locus ille piarum
Dicitur, obſcœnæ quo prohibentur aves.
Illic innocui late paſcuntur olores:
Et vivax Phœnix, unica ſemper avis.
[4] Spectat & ipſa ſuas [5] ales Junonia pennas:
Oſcula dat cupido blanda columba mari.

---

[1] Armigeræ *al. & tertio* illa loquax.
[2] Venit *in multis. mox, legitur etiam* Non tamen.
[3] Frondet] *Excerpta Politiani & unus Mediceus* frondens. *ut ad* 70 viret *referatur. niſi ſequenti verſu* Uvida *malis pro* Udaque. *nam unus Vaticanus* Vivida. *Heinſius.*
[4] *Al.* Explicat ipſa: *aut* Explicat atque.
[5] *Pavo.*

Pſittacus

Pſittacus has inter, nemorali ſede receptus,
[1] Convertit volucres in ſua verba pias.
Oſſa tegit tumulus: tumulus pro corpore [2] parvus:
Quo lapis exiguus par ſibi carmen habet.
[Colligor ex ipſo dominæ placuiſſe ſepulcro.
Ora fuere mihi plus ave docta loqui.]

PRima malas docuit, mirantibus æquoris undis,
Peliaco [3] pinus vertice cæſa vias:
Quæ concurrentes inter temeraria [4] cautes
Conſpicuam fulvo vellere vexit ovem.
O utinam, [5] ne quis remo freta longa moveret,
Argo funeſtas preſſa bibiſſet aquas!
Ecce fugit notumque torum [6] ſocioſque Penates,
Fallaceſque vias ire Corinna parat.

---

[1] Convertat *membranæ n. vet. Deinde editi* vota *pro* verba.

[2] Magnus *libri paucis exceptis. & defendi poteſt. neſcio an & reſtitui debeat.*

[3] *Argo, navis.*

[4] *Symplegadas.*

[5] remo ne quis *Edit. Heinſii. unde, non video. dein pro* moveret *lib. unus* ſecaret. *proximo autem* merſa *prima editio pro* preſſa. *atque tertio,* fugit noſtrumque *noſtræ membranæ.*

[6] Patrioſque] ſocioſque *ſcripti. Nupta enim Corinna. ut patet ex El.* 4. *l.* 1. *Amor. & l.* 2, *El.* 2. *tum & aliis locis. de* ſociis penatibus *monui ad Epiſt.* 5. *v.* 126. *Heinſius. Nuptam quidem patet ex El.* 12. *lib.* 2. *Non tamen hîc loci opportuna matrimonii mentio. Verbum quoque* ſocius *quamcunque monſtrat ſocietatem, ſive amantium ad tempus, ſive conjugum juſtam ac ſtabilem. atque legi poteſt* Ecce fugit noſtrumque rorum ſocioſque penates.

Quid

Quid tibi (me miſerum!) Zephyros Euroſq; timebo,
Et gelidum Borean, egelidumque Notum?
Non illic urbes, non tu mirabere ſylvas.
Una eſt injuſti cærula forma maris.
Nec medius tenues conchas pictoſve lapillos
Pontus habet: bibuli littoris illa mora eſt.
Littora marmoreis pedibus ſignanda, puellæ.
Hactenus eſt tutum: cætera cæca via eſt.

Et gelidum Boream præcipitemque Notum] Borean & gelidumque Notum *Puteaneus & Arondelianus. Scribe* egelidumque. *quomodo agnoſcit Seneca l.* 2. *Contr.* 10. *etiam in Epitome ab Andrea Schotto edita.* non gelidumque *Neapolitanus & tres alii. duo* prætepidumque. *Heinſius. Legitur etiam apud Senecam* Egelidum Borean egelidumque Notum. *Sed ea lectio deberi videtur conjecturæ Jul. Scaligeri; qui interpretabatur* Egelidum Borean *quaſi* prægelidum, Egelidum *autem* Notum *quaſi* tepentem: *Neque placitura videtur compoſitio omiſſâ* Et *particulâ; & totidem litteris* [Et gelidum Boream egelidumque Notum] *Schottus in optimo libro ſcriptum ſe reperiſſe teſtatur. Diſpiciendum reſtat pro* omnino frigido egelidum, *an* frigoris experte *accipere debeamus. nam conſtat ſenſu utrovis capi. Servat autem propoſitum longè meliùs, (ut deterreat ſc. puellam) ſi malis ſæviora accumulet mala; quàm ſi Boreæ, elanguente omni ſententiæ vi, Notum adjungat tepentem: quem quidem quid ſit quòd* timeat *aut ipſe aut Corinna non facilè cernitur. Notus verò, tepido licet ab axe ſpiret, per imbres ſuos navigantibus fieri poteſt omnium ventorum gelidiſſimus. Adſcribam verba nautæ noſtratium experientiſſimi,* Imber nos maximo affecit frigore; quævis enim aqua dulcis marinâ multo frigidior. Nam mare plagis etiam frigidiſſimis tepeſcit, atque plagis calidiſſimis pluvia frigeſcit & humanis corporibus nocet.

incerti *membr. vet. noſtræ. & prox.* virideſque lapillos.

Al. ſignate, *&* ſignata.

Et

[1] Et vobis alii Ventorum prælia narrent;
Quas Scylla [2] infestet, quasve Charybdis aquas:
Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis:
Quo lateant Syrtes, [3] quove Malea sinu.
Hæc alii referant. at vos, quod quisque [4] loquentur,
Credite: credenti nulla procella nocet.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum,
Navita sollicitus [5] & ventos horret iniquos,
Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.

---

[1] *Lego* At *cum Heins.*

[2] *Al.* inflectit. *in nonnullis* infestat.

[3] Magna minorque] *optime codex Regius*, quove Malea. *infra El.* 16. Nec timeam vestros, curva Malea, sinus. *Virgil. Æn.* 5. —nunc illas promite vires, Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus usi, Ionioque mari, Maleæque sequacibus undis. *Maleam cum Syrtibus quoque conjunxit Propert. l.* 3. Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis Præbeat hospitio curva Malea suo. *curva igitur & sinuosa Malea. Heinsius. Ne quis miretur quî fieri potuit ut ista lectio exularet ex omnibus fere libris, admonendum duxi vulgatam* magna minorque (*seu* minorve) *è margine aut versuum intervallo irrepere potuisse. Ibi scilicet adleverat aliquis* Syrtes *interpretaturus*, Magna & minor.

[4] loquetur *&* loquatur *vulgò.*

[5] *Sic cum multis denuo legendum dedi. Al.* jam, *vel* quoque, *vel* quia, *vel* qui ventos. *unde conjiciebat Heinsius* qua. *Sed si* qua, *aut* quo, *aut* jam *à manu Ovidii fuisset, non video cur aliquis mutaverit. cur & mutari potuit omnes vident. Distinctionem porro in fine versus præcedentis positam feci minusculam, quæ antea fuerat absolutæ sententiæ nota.*

[1] Quid ſi concuſſas Triton exaſperet undas?
[2] Quam tibi nunc totò nullus in ore color!
Tum generoſa vocès fœcundæ ſidera Ledæ:
Et, Felix, dicas, [3] quam ſua terra tenet!
Tutius eſt foviſſe torum; legiſſe libellos;
Threïciam digitis increpuiſſe lyram.
At, ſi vana ferunt volucres mea dicta Procellæ,
Æqua tamen puppi ſit Galatea tuæ.
Veſtrum crimen erit talis jactura puellæ,
Nereïdeſque deæ, Nereïdumque pater.
Vade memor noſtri, vento reditura ſecundo.
Impleat illa tuos fortior aura ſinus. [reus:
Tum mare in hæc magnus [4] proclinet littora Ne-
Huc Venti ſpectent: huc agat æſtus aquas.
Ipſa roges, Zephyri veniant in lintea [5] ſoli:
Ipſa tuâ moveas turgida vela manu.
Primus ego aſpiciam notam de littore pinum;
Et dicam, Noſtros advehit illa Deos.
Excipiamq; humeris, & multa ſine ordine carpam
Oſcula. pro reditu victima vota cadet.

---

[1] *Leg. etiam* Quod ſi. *&* exaſperat.

[2] Quam tibi ſit toto] *alii*, Qui tibi nunc toto. *vel*, toto eſt. *prima editio*, Quam tibi nunc toto eſt. *rectè, ſi τὸ* eſt *tollas. Heinſ.*

[3] Quem *al. & quarto* verba procellæ.

[4] *Al.* declinet. *proximò* ventus portet *unus. alter* venti ſpirent. *ſed mutatione nihil opus; quo ventus enim os vertat, eodem ſpirat.*

[5] pleni *vulg. quarto autem, alii* iſta deos. *atque quinto,* Excipiamque ulnis. *Sed vulgata, inquit Heinſius, reſpicit ad ritum illum, quo è navi alienis humeris per primas undas deferebantur vectores in terram.*

Inque

Inque tori formam molles ſternentur arenæ:
[1] Et tumulus menſæ quilibet inſtar erit.
Illic appoſito narrabis multa Lyæo,
Pæne ſit ut mediis obruta navis aquis:
Dumq; ad me properas, nec iniquæ tempora noctis,
Nec te præcipites extimuiſſe Notos.
Omnia pro veris credam, ſint [2] ficta licebit.
Cur ego non votis blandiar ipſe meis?
Hæc mihi quamprimum cœlo nitidiſſimus alto
Lucifer admiſſo tempora portet equo.

---

[1] Pro menſa tumulus quilibet eſſe poteſt.] Et tumulus menſæ quilibet eſſe poteſt *Puteaneus. tres* Pro menſa cumulus. *prima editio & ſcripti nonnulli* Et cumulus menſæ quilibet inſtar erit. *quomodo & Arendelianus. nec aliter Sarravianus, niſi quod in illo* tumulus. *& recte. Idem.*

[2] *Membranæ noſtr.* falſa.

Mem-

MEmnona ſi mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas triſtia fata Deas;
Flebilis indignos Elegeïa ſolve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen [1] erit!
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus,
Ardet in extructo, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert everſamque pharetram,
Et fractos arcus, & ſine luce facem.
Aſpice, demiſſis ut eat miſerabilis alis;
Pectoraque infeſtâ tundat aperta manu.
Excipiunt [2] lacrymas ſparſi per colla capilli,
Oraque ſingultu concutiente ſonant.
Fratris in Æneæ ſic illum funere dicunt
Egreſſum [3] tectis, pulcher Iüle, tuis.
Nec minus eſt confuſa Venus moriente Tibullo,
Quam [4] juveni rupit cum ferus inguen aper.
At ſacri vates, & Divûm cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne ſacrum Mors importuna profanat:
Omnibus obſcuras injicit illa manus.
Quid pater Iſmario, quid mater profuit, Orpheo?
Carmine quid victas obſtupuiſſe feras?

---

[1] *Quidam*, ineſt.

[2] ſparſi lacrymas *edit. N. Heinſii. an aliquo libro auctore, neſcio.*

[3] *Multi* caſtris.

[4] *Adonidi.*

[1] Ælinon in ſylvis idem pater, Ælinon, altis
Dicitur [2] invitâ concinuiſſe lyrâ.
Adjice Mæoniden, à quo, ceu fonte perenni,
Vatum Piëriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque ſumma dies nigro ſubmerſit Averno.
[3] Effugiunt avidos carmina ſola rogos.
Durat opus vatum Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno [4] tela retexta dolo.
Sic Nemeſis longum, ſic Delia nomen [5] habebunt;
Altera cura recens, altera primus amor.

---

[1] Et Linon in ſilvis idem pater abditus altis] & Linon altis *Puteaneus cum optimo Palat. Arondel. & tribus aliis. venuſta mehercules repetitione. pro quo alii*, edidit, abditum in, *vel*, expoſitum. *& ſimilia. Cæterum Putean. à manu primâ* Elinon. *ut utroque forſan loco ſit ſcribendum* Ælinon. *priori certe ſic unus Vatic. atque unus Mediceus. quomodo cantus ille vocatus, quo Linum Apollo deflevit. atque ita Scaliger in margine codicis ſui emendarat. Nota illa Moſchi,* Αἰλινά μοι στναχέετε νάπαι. *Heſychius,* Αἴλινος ὕμνος, θρῆνος. *Vide Athenæum & Sophoclis Scholiaſten in Ajace. ſed nec* αἴλινος *ſemper carmen lugubre. Athenæus lib.* 14. λίνος ὁ μὲν αἴλινος ὁ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπῷ καὶ τ Εὐριπίδην. *Rutgerſius præterea Venuſinis Lectionibus c.* 5. in ſilvis Idæ *legendum contendit. quomodo unus Vaticanus. Apollo nimirum tutelaris Troadi deus. Heinſius.*

[2] *Plerique* invicta. *proximo multi* Alpice Mæon.

[3] Diffugiunt *vetuſtiores cum prima editione. Heinſ.*

[4] *Penelopes. i. e. Odyſſea dirat.*

[5] *Al.* habebit. *& tertio* rapiant *vulg. ſed & pro* falſo *noſtr. membr.* falſo.

Cum

* * *

Cum rapiunt mala fata bonos (ignoſcite faſſo)
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.
Vive [1] pius; moriere pius. cole ſacra; colentem
Mors gravis à templis in cava buſta trahet.
Carminibus confide bonis. jacet [2] ecce Tibullus.
Vix manet è [3] tanto parva quod urna capit.
Téne, ſacer vates, flammæ rapuere rogales;
Pectoribus paſci nec timuere tuis?
Aurea ſanctorum potuiſſent templa Deorum
Urere, quæ tantum ſuſtinuere nefas.
Avertit vultus Erycis quæ poſſidet arces.
Sunt quoque, qui lacrymas continuiſſe [4] negant.
Sed tamen hoc melius, quam ſi Phæacia tellus
Ignotum vili ſuppoſuiſſet humo.
Hîc certè manibus [5] fugientes preſſit ocellos
Mater; & in cineres ultima dona [6] tulit:

---

[1] *Al.* pius, moriere tamen. *al.* tamen moriere pius: *unus* pius, moriture pius. *Edit. Vicent.* tamen moriture pius. *Proximo quoque, legitur in quibuſdam* Mors tamen. *& alibi* in ſua buſta. *quod quidem placere poteſt.*

[2] ille *lib. vetus.*

[3] *Sic duo libri pro* toto. *pro* parva *totidem* curva. *unde conjectura Heinſii,* curta.

[4] negent. *edit. N. Heinſ. neſcio an volente ipſo.*

[5] *E membranis noſtris arripui, cum ante legeretur* fugientis *aut* morientis; *in tribus tamen Heinſii* madidos fugientes, *in ſeptem* madidos fugientis. *Iſtuc* madidos *non multum moror;* gravidos *vero, viri docti conjecturam, nihil.* Oculi fugientes *ut* labentes *Quintil. Proœm. l. 6. Inſt.* Tuoſne ego, O meæ ſpes inanes! labentes oculos, tuum fugientem ſpiritum vidi? *Proximè autem accedit* Vinum fugiens *Cic. Off. l. 3.*

[6] *Al.* dedit. *& verſu tertio,* dilacerata comas.

Hîc ſoror in partem miſera cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata comas.

* * *

Si tamen è nobis aliquid, niſi nomen & umbra,
Reſtat; in Elyſiâ valle Tibullus erit.
Obvius huic [1] venies hedera juvenilia cinctus
Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque, (ſi falſum temerati crimen [2] amici,)
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.
His comes umbra tua eſt; [3] ſi quid modo corporis umbra eſt.
Auxiſti numeros, culte Tibulle, [4] pios.
Oſſa quieta, precor, tutâ [5] requieſcite in urnâ:
Et ſit humus cineri non oneroſa tuo.

---

[1] venias *libri duo.*

[2] *Cæſaris.*

[3] ſi qua eſt modo corporis umbra] ſi quæ modo *Puteaneus à manu emendatrice. excerpta Jureti & tres alii codices,* ſi quid modo corporis umbra eſt. *recte. Pont.* 4. *El.* 1. Da mihi (ſi quid ea eſt) hebetantem pectora Lethen. *El.* 14. Styx quoque (ſi quid ea eſt) bene commutabitur Iſtro. *Prudentius Proœm. Cathem.* Cum jam, quicquid id eſt, quod fueram, mors aboleverit. *Heinſius.*

[4] tuos *Membr. noſtr. vet.*

[5] requieſcere *al.*

Cum

CUm mihi pomiferis conjux foret orta Faliſcis;
[1] Mœnia contigimus victa, Camille, tibi.
Caſta ſacerdotes Junoni feſta parabant,
[2] Et celebres ludos, indigenamque bovem.
Grande [3] moræ pretium, ritus cognoſcere: quamvis
Difficilis clivis huc via præbet iter.
Stat vetus, & densâ prænubilus arbore lucus.
Aſpice; concedes [4] numen ineſſe loco.
Accipit ara preces, votivaque thura piorum;
Ara per antiquas facta ſine arte manus.
[5] Hinc ubi præſonuit ſollenni tibia cantu;
It per velatas annua pompa vias.
Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ,
Quas aluit campis herba Faliſca ſuis:
Et vituli nondum metuendâ fronte minaces;
Et minor ex humili victima porcus harâ:
Duxque gregis cornu per tempora dura recurvo.
Inviſa eſt dominæ ſola capella Deæ.

---

[1] *Falerios intelligit. Excerpta Puteani & Jureti tamen cum octo ſcriptis* culta tibi. *ut Veios deſignet. multi ex ſcriptis* juncta tibi, *vel*, juncta tuis. *Heinſius. Quæ ſequuntur ac Haleſo, ſaltem de Junonis Argivæ templo, faciunt rem certam Falerios intelligi. Atque* victa, Camille, tibi *interpretor* ἐμφατικῶς. *Falerios enim, ut notum, Camillus ſuâ ipſius benignitate, non exercitu, vicit.*

[2] Per *al.*

[3] voco pretium *noſtræ membranæ.* voco meritum *quatuor codices. unus præcedenti*, indigenæque Jovi.

[4] *Vulg.* numinis eſſe locum.

[5] Hic *plerique, &* perſonuit. *quatuor* Hinc. *unus* Hac. *Heinſius legebat* Huc.

Illius indicio ſylvis inventa ſub altis
Dicitur inceptam deſtituiſſe fugam.
Nunc quoque per pueros jaculis inceſſitur [1] index;
Et pretium auctori vulneris ipſa datur.
Qua ventura Dea eſt, juvenes timidæque puellæ
[2] Præverrunt latas veſte jacente vias.
Virginei crines auro gemmaque premuntur:
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.
More patrum [3] Graio velatæ veſtibus albis
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.
Ore [4] favent populus tunc, cum venit aurea pompa;
Ipſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas.
Argiva eſt pompæ facies. Agamemnone cæſo
Et ſcelus & patrias fugit Haleſus opes:
Jamque pererratis profugus terraque fretoque
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Junonia ſacra Faliſcos.
Sint mihi, ſint populo ſemper amica ſuo.

---

[1] *Capella, quæ Junonem Jovi prodidit eam perſequenti in formâ cuculi. Berſmann.*

[2] *Sic melius ex libris aliquot, quàm vulg.* Præbuerant. *ſed ne illud quidem huc facit. Duo codices* Prævertunt; *ſinguli* Præbuerunt, Velarant, Straverunt. *Placet Heinſii conjectura* Præſternunt.

[3] *Dedit Idem in uno libro inventum & pro diverſa lectione in duobus; in alio autem* Graium, *& nonnullis* grato. *Alibi enim* ſancte, ſanctæ, *aut* ſacre *habemus.* *Proximo verſu lib. unus* Condita ſup.

[4] favent populi] favet populus *unus Politiani & Moreti. Puto* favent populus. *Heinſius.*

Quære

QUære novum vatem, tenerorum mater Amorum:
[1]Raditur hæc Elegis ultima meta meis;
Quos ego compoſui Peligni ruris alumnus;
(Nec me [2] deliciæ dedecuêre [3] tuæ)
Si quid id eſt, uſque à proavis vetus [4] ordinis hæres,
Non modo militiæ turbine factus eques.
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignæ dicar gloria gentis ego.
Quam ſua libertas ad honeſta coëgerat arma,
Cum timuit [5] ſocias anxia Roma manus.
Atque aliquis ſpectans hoſpes Sulmonis aquoſi
Mœnia, [6] qua campi jugera pauca tenent;

---

[1] *Optima Ejuſdem conjectura pro* Traditur. *Porro, bene ſe habet* hæc; *unus licet habeat* hic, *ſinguli item* his *&* hoc. *Deinde, legitur etiam* ultima charta meis; *& in uno alteroque* nota *&* cura. *Inde, credo, conati ſunt emendare,* creta. *Sed nihil opus; cùm* meta *eandem vim habeat.*

[2] militie *membran. vet. noſtr.*

[3] meæ] tuæ *malim cum uno Moreti. nam* meis *ſub finem proximi pentametri jam præceſſerat. Heinſius. Verſum παρενθέσεως notis incluſi, ut cætera clarius cernantur cohærentia. Neque enim credo membranis noſtris vet. quæ verſus duos, qui hîc proximè ſequuntur, ita trajiciunt, ut pro quinto ſextoque fiant nonus ac decimus; ſic autem exhibent ſecundum,* Non ego Fortune munere factus eques. Fortunæ *verò* munere *in aliis quoque legitur.*

[4] *Equeſtris.*

[5] *Bello ſociali, ſeu Marſico. Tangit Corfinii, quod gentis caput, magnam iſto bello gloriam. Iſtud enim, Italicæ nomine, imperii ſui domicilium, atque adeo Italiæ pro Roma caput ſocii voluerunt, faciebantque. Aptè igitur ſubjunxit de Sulmone, ſecunda Pelignorum urbe,* Atque aliquis ſpectans, *&c.*

[6] *Sic in multis. al.* quæ.

Quæ tantum, dicet, potuiſtis ferre poëtam,
Quantulacunque eſtis, vos ego magna voco.
Culte puer, puerique parens [1] Amathuſia culti,
Aurea de campo vellite ſigna meo.
Corniger increpuit thyrſo graviore [2] Lyæus:
Pulſanda eſt magnis area major equis.
Imbelles Elegi, genialis Muſa, valete;
Poſt mea manſurum fata ſuperſtes opus.

---

[1] mihi tempore longo] tempore in omni *excerpta Jureti & unus Moreti. Scriverianus*, amat hoſtia cultus. *Arondelianus pro diverſa lectione* amat hoſtia cultu. *optimus Palat.* Amathuntia culta. *Scribe*, Amathuſia culti. *ab Amathunte, Amathuſia, ut à Rhamnunte, Rhamnuſia, à Selinunte, Selinuſia. hinc* creta Selinuſia *apud Plinium. ſic* Amathuſiacas bidentes *noſter dixit l.* 10. *Met. Amathuntem enim ab Amathuſa Cinyræ matre appellatam volunt. &c. Si quis* Amathuntia *præfracte tuetur, non omnino me oppono. nam &* Selinuntii *apud Ciceronem occurrunt, &* Hydruntii *apud Plinium. præſtat tamen alterum. Heinſius. Addere viſum è notis Luc. Holſtenii in Stephanum. Gentile* Ἀμαθούσιος. *Hipponax apud Euſtathium ad Iliad.* B. *pag.* 305. Βέλος χὴ Ἀμαθουσίων πυρῶν. *Sic nummi duo apud Goltzium,* AMAΘOΥΣI-ΩN.

[2] *Ad quem ſpectat Tragœdia.*

Ecce

ECce parat Cæſar domito quod defuit, orbi
Addere. nunc, Oriens ultime, noſter eris.
Parthe, dabis pœnas: Craſſi gaudete ſepulti,
Signaque barbaricas non bene paſſa manus.
[1]Ultor adeſt; primiſq; ducem profitetur in [2]armis:
Bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales, timidi, numerare Deorum:
Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit; & ignavæ fert male damna moræ.
Parvus erat, manibuſque duos Tirynthius angues
Preſſit: & in cunis jam Jove dignus erat.
Nunc quoq; qui puer es, quantus tum, Bacche, fuiſti,
Cum timuit thyrſos India victa tuos!
Auſpiciis [3]anniſque [4]patris puer arma movebis:
Et vinces annis auſpiciiſque patris.
Tale rudimentum tanto ſub nomine debes;
Nunc juvenum princeps, deinde future ſenum.
Cum tibi ſint [5]fratres; fratres ulciſcere læſos:
Cumque pater tibi ſit; jura tuere patris.

---

[1] *Caius Cæſar, Agrippæ filius, Auguſti adoptivus, Orienti præpoſitus, miſſus ſcilicet Armeniæ recipiendæ, quæ ad Parthos ſe ſubtrahebat. Tunc autem ea ætate erat, ut comite rectore proficiſceretur.*

[2] *Al.* annis.

[3] *Legitur in utroq; verſu* animis *etiam, idque in caſtigatioribus, inquit Heinſius. qui tamen, niſi valde properaſſet, iſtam lectionem ei, quam reſtitutam nunc habes, prætuliſſe nequaquam potuerat.*

[4] *Auguſti; qui puer, aut pene puer ad arma acceſſit.*

[5] *Lucius & Agrippa.*

[1] Induit

[1] Induit arma tibi genitor patriæque tuusque;
Hostis ab invito [2] regna parente rapit.
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas:
[3] Stabit pro signis jusque piumque tuis.
Vincuntur causâ Parthi; vincantur & armis.
Eöas Latio dux meus addat opes.
Marsque pater, Cæsarque pater, date numen eunti.
[4] Nam Deus è vobis alter es, alter eris.
Auguror en; vinces: votiváque carmina reddam:
Et magno nobis ore sonandus eris.
Consistes; aciemque meis hortabere verbis.
[5] O desint animis ne mea verba tuis!
Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam;
Telaque, ab aversо quæ jacit hostis equo.
[6] Qui fugis, ut vincas, quid victo, Parthe, relinques?
Parthe, malum jam nunc Mars tuus omen habet.

---

[1] Præbuit *al.*

[2] *Armeniam.*

[3] Stabunt *lib. unus.*

[4] *Pene omiseram variantes lectiones. tandem spectans finem sequentis pentametri minùs addere gravatus sum.* Nam deus è vobis alter & alter erit. Est deus è vobis alter, & alter erit. Est deus in vobis alter, & alter erit.

[5] Fac desint *unus.*

[6] Quid fugis ut vincas? quid victos, Parthe, relinquis?] *Itane? ut victos Ovidius Romanos appellarit, ob exercitum Crassi à Parthis deletum? absit omen. Indignum sane id fuerit majestate nominis Romani. Quid ergo? Libri sex,* Quid victo, Parthe, relinquis? *Nec aliter fragmentum Bodleianum, nisi quod* relinques *in eo. Arondelianus,* Quod fugis ut vincas, quid te victo parte relinques? *Scribe meo periculo,* Qui fugis ut vincas, quid victo, Parthe, relinques? *hoc est, quid tibi ipsi victo relinques? Quid aliud victus facias? In Vintimeliano certe codice,* Quo fugis? *Heinsius.*

Ergo

Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
Quattuor in niveis aureus ibis equis?
Ibunt ante duces onerati colla catenis;
Ne possint tuti, quâ prius, esse fugâ.
Spectabunt[1] læti juvenes mistæque puellæ:
Diffundetque animos omnibus ista dies.

* * *

Nossis in ignotis amens errabat arenis,
Qua brevis æquoreis Dia feritur aquis.
Utque erat è somno tunicâ velata recinctâ,
Nuda pedem, croceas irreligata comas;
Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,
Indigno teneras imbre rigante genas.
Clamabat, flebatque simul; sed utrumque decebat:
Nec facta est lacrymis turpior illa suis.
Jamq; iterum tundens mollissima pectora palmis;
Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait. sonuerunt cymbala toto
Litore, & attonitâ tympana pulsa manu.
Excidit illa metu, rupitque novissima verba:
Nullus in exanimi corpore sanguis erat.
Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis:
Ecce leves Satyri prævia turba Dei:
Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet; & [2] pressas continet arte jubas.

---

[1] *Vulg.* juvenes læti. *atque proximo* illa dies.
[2] Prensas *mavult Heins.* jussas *nostr. membran.*

Dum

Dum ſequitur Bacchas, (Bacchæ fugiuntq; petuntq;)
Quadrupedem ferula dum malus urget eques;
In caput aurito cecidit delapſus aſello.
Clamarunt Satyri, Surge age, ſurge, pater.
Jam Deus [1] è curru, quem ſummum texerat uvis,
Tigribus adjunctis aurea lora dabat.
Et color, & Theſeus, & vox abiere puellæ:
Terque fugam petiit: terque retenta [2] metu
Horruit, ut ſteriles, agitat quas ventus, ariſtæ;
Ut levis in madidâ canna palude tremit.
Cui deus, En adſum tibi cura fidelior, inquit:
Pone metum; Bacchi, [3] Gnoſſias, uxor eris.
Munus habe cœlum: cœlo [4] ſpectabile ſidus
Sæpe reges dubiam Creſſa Corona ratem.
Dixit; & è curru, ne tigres illa timeret,
Deſilit: impoſito ceſſit arena pedi.
Implicitamque ſinu (neque enim pugnare valebat)
Abſtulit: [5] ut facile eſt omnia poſſe Deo.
[6] Pars, Hymenæe, canunt: pars clamant, Evie, evoe!
Sic coëunt ſacro nupta Deuſque toro.

---

[1] in curru, *plerique. & in tertio, duo* Et color & ſenſus.

[2] *Al.* metu eſt.

[3] Gnoſias *al. ut & in initio* Gnoſis.

[4] *Sic lib. unus pro* ſpectabere. *Sequenti,* Creſſa puella *vulg. ut & paulo inferius,* arena pede.

[5] *Duo* en facile eſt. *totidem* in facili eſt.

[6] *Infinitas hic variationes non recenſeo. Invenit Heinſ. in aliquot libris,* Pars Hymenæe canunt, pars clamant Evion evoe; *in uno* Evio evoë. *unde quæ vides levi mutatione dedit, non ſine aliis etiam conjecturis.*

Dicitur

DIcitur Ægyptos caruiſſe juvantibus arva
Imbribus; atque [1] annos ſicca fuiſſe novem;
Cum [2] Thraſius Buſirin adit, monſtratque piari
Hoſpitis [3] effuſo ſanguine poſſe Jovem.
Illi Buſiris, Fies Jovis hoſtia primus,
Inquit: & Ægypto tu dabis hoſpes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit. infelix imbuit auctor opus.
Juſtus uterque fuit. neque enim lex [4] æquior ulla,
Quam necis artifices arte perire ſuâ.

---

[1] *Leg.* & annis.
[2] *Vates à Cypro.*
[3] *Lib. unus* affuſo.
[4] *Al.* juſtior.

Forma

FOrma bonum fragile eſt. quantumque accedit ad annos,
Fit minor; & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
[1]Nec violæ ſemper, nec hiantia lilia florent;
Et riget amiſsâ ſpina relicta rosâ.
Et tibi jam [2]venient cani, formoſe, capilli:
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Jam molire animum, qui duret; & adſtrue [3]formæ.
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec levis, ingenuas pectus coluiſſe per artes,
Cura ſit; & linguas edidiciſſe duas.
Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes:
Et tamen æquoreas torſit amore [4]Deas.

---

[1] Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent, *vulg. Lectionem quam ſequimur è quinque libris protulit Heinſius, aliis multum variantibus, non paucis tamen ejuſdem veſtigia retinentibus.*

[2] cani venient, *edit. N. Heinſii.*

[3] *Vulg.* formam.

[4] *Calypſonem vult.*

Eſt

EST prope purpureos colles florentis Hymetti
Fons ſacer, & viridi ceſpite mollis humus.
Sylva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam:
Ros maris, & [1] lauri, nigraque myrtus olent.
Nec [2] denſum foliis buxum, fragileſque myricæ,
Nec tenues cytiſi, cultaque pinus abeſt.
Lenibus impulſæ Zephyris aurâque ſalubri
Tot generum frondes, herbaque ſumma [3] tremit.
Grata quies Cephalo. famulis canibuſque relictis
Laſſus in hac juvenis ſæpe reſedit humo.
[4] Quæque meos releves æſtus, cantare ſolebat,
Accipienda ſinu, mobilis Aura, veni.
Conjugis ad timidas aliquis male ſedulus aures
Auditos memori detulit [5] ore ſonos.

---

[1] *Al.* laurus.

[2] denſæ foliis buxi *quatuor codices. totidem* denſus foliis buxus. *Puto*, denſaque nec foliis buxus *cum uno Patavino.* &c. *Heinſius. Si verò genere fœminino ſcripſiſſet Naſo, quis mutaſſet? Reſtitui igitur vulgatam lectionem. Notum è Voſſio de Analog. & aliis utrovis genere dici. Ego oſtendam noſtrum amare neutrum. Metam.* 12. *v.* 148. Longave multifori delectat tibia buxi. *&* 14. *v.* 537. —inflati complevit murmure buxi. *Faſt. lib.* 6. *v.* 697. Prima terebrato per rara foramina buxo, *&c. nam verſum ejuſdem* 229. *omitto, quia libris in eo variatur.*

[3] *Duo libri* tremunt. *Repoſui vulgatam ut ποιητικωτέραν.*

[4] *Totidem* Quoque. *Mihi* τὲ Quæque (*quam itidem repoſui*) *& celerius videtur & ſuſpicionem movere acrius.*

[5] *Leg. &* aure. *ſic epiſt. Acontii* Et vocem memori condidit aure tuam. *Sed amplecti non licet propter iſta quæ præceſſerunt.*

Procris

Procris, ut accepit nomen, quasi pellicis, Auræ;
Excidit: & subito [1] muta dolore fuit.
Palluit, ut [2] seræ, lectis de vite racemis,
Palleſcunt frondes, quas nova læsit hiems;
Quæque suos curvant matura Cydonia ramos;
Cornaque adhuc nostris non satis apta cibis.
[3] Ut rediit animus, tenues à pectore vestes
Rumpit, & indignas sauciat ungue genas.
Nec mora; per medias passis furibunda capillis
Evolat, ut thyrso concita Baccha, vias.
Ut prope perventum; comites in valle relinquit.
Ipsa nemus tacito clam pede fortis init.
Quid tibi mentis [4] erat, cum sic male sana lateres,
Procri? quis attoniti pectoris ardor erat?
Jam jam venturam, quæcunque erat Aura, putabas
Scilicet; atque oculis probra videnda tuis.
Nunc venisse piget; [5] neque enim deprendere velles:
Nunc juvat. incertus pectora versat amor.

---

[1] *Vulg.* mota.

[2] sera lectus de vite racemus, *aut* lectis racemis *scripti plerique. alii* sectis racemis. sera lectis de vite racemis *prima editio & septem scripti. Vulgata lectio non est sollicitanda, quam & Regius codex tuetur.* &c. *Heinsius.*

[3] Utque animus rediit, *vulg.* Ut redit huic animus, *unus*; *ut & proximo* Rupit. *In tertio pro* passis *al.* sparsis: *& quarto plerique* perventum est *ac* reliquit.

[4] erit *unus. alius* eras. *certe* erat *sequitur.* &c. *Heins.*

[5] nec nunc depr. *membr. nostræ.*

Credere

Credere quæ jubeant, locus eſt, & nomen, & index;
Et [1] quia amans ſemper, quod timet, eſſe putat.
Vidit [2] ut oppreſſam veſtigia corporis herbam;
Pulſantur trepidi corde micante ſinus.
Jamque dies medius tenues contraxerat umbras;
Inque pari ſpatio veſper & ortus erant.
Ecce [3] redit Cephalus ſylvis [4] Cyllenia proles,
Oraque fontanâ fervida [5] pulſat aquâ.

---

[1] quia mens ſemper, quod timet, eſſe putet.] putat *ſtripti plerique cum prima editione.* quæ mens *tres ſcripti cum Arondelliano.* quod amans. *Lege* quia amans. *Sic Ep.* 1. Res eſt ſolliciti plena timoris amor. *in Triſtibus,* Datque tuus caſti ſigna timoris amor. *Idem. Excidiſſe videntur per incuriam typographi verba, quibus ſignavit libros ubi legebatur* quod amans.

[2] *Al.* ut oppreſſa herba, *alii* & oppreſſa, *alius* ut in preſſa.

[3] venit *membranæ noſtræ. deinde* proles Cyllenia ſylvis *quos vidi. Heinſius emendavit; credo, non ſine libris.*

[4] *Cyllenii dei, i. e. in Cyllene geniti: nempe Mercurii.*

[5] Spargit] *Scripti plerique cum prima editione* pulſat. *quod & Zinzerlingus in Promulſide Critica eſt amplexus. Nec ignoro ſic alibi Ovidium locutum. Sed præceſſit paulo ante,* Pulſantur trepidi *&c. duo codices* lavit aqua. *&c. Heinſius. Iſta ſanè proba ſunt, ſic tamen proba, ut ſi ab Ovidii manu fuiſſent nemo in iis hæſiſſet, deinde mutare aut gloſſema allinere conatus eſſet. Et hoc magis me movit ut reponerem* τὸ pulſat, *quam quod objecit Heinſius (licet non ſit nihili) deterrere potuit. Præterea vox ipſa quæ noſtrati* Dash *videtur reſpondere loco accommoda eſt quam maxime: ſic enim frigus incutitur vehementius atque acutius. Zinzerlingus ſiqua huc attulerit non vidi, quapropter locutioni probandæ iſta adjicio. Lucr. l. 6.* Cogitur offenſare igitur pulſareque fluctu Ferrea texta ſuo. *Virg. Æn.* 3. gemitum ingentem pela i pulſataque ſaxa Audimus. *&* 4. Piniferum caput & vento pulſatur & imbri. *Noſtr. Met.* 11. *v.* 509. Nec leviùs pulſata ſonat [puppis.] *& paulo poſt,* Sic ubi pulſarunt acres latera ardua fluctus. *& in Epiſt. Ariadnes,* ſcopulo, quem vaga pulſat aqua.

Anxia, Procri, lates. ſolitas jacet ille per herbas;
Et, Zephyri molles, Auraque, dixit, ades.
Ut patuit miſeræ jucundus nominis error;
[1] Et mens, & rediit verus in [2] ora color.
Surgit; & [3] oppoſitas agitato corpore frondes
Movit, in amplexus uxor itura viri:

[1] Ut mens & rediit *duo libri. duo alii,* Ut mens, ut rediit. *dixi ad Ep.* 12. *v.* 33. *Heinſius. At hujus ſaltem loci non videntur.*

[2] *Leg. &* ore.

[3] *Et hîc, & aliis aliquot in locis, fecit Heinſius ut* appoſit. *legeremus. quibus quoque reddenda quia ſit lectio vulgata, omnes recenſere non pigebit. Faſt.* 3. *v.* 770. frondem cunis oppoſuere novis. 4. *v.* 143. oppoſitâ texit ſua corpora myrto. *Amor.* 3. *El.* 14. *v.* 10. Oppoſitâ populum ſubmovet ante ſerâ. *Ep.* 7. *v.* 100. Oppoſitæ frondes velleraque alba tegunt. *Nam quæ attentavit, mutarive juſſit, nec mutata ſunt; aut rectè ſiqua, vel aliquâ cum dubitandi cauſa, mutavit, non perſequor. Iſta certè per quinque, cauſa omnino non fuit, præter librorum variationem; quæ literularum adeo conſimilium, re præſertim abnuente, quantum movere nos ad migrandam lectionem receptam debeat, omnibus certum arbitror. Quærendum igitur exiſtimavi, Quænam verbi vis ad tales locos utilis inſit in* τῷ oppono, *quamque eandem* τῷ appono *abeſſe nemo non ſentiat. Mihi autem illa videtur iſtiuſmodi, ut, ſi quo poſito lux, oculi, telum, qualiſcunque denique acceſſus ſeu petitio arceatur, id ei rei unde arceatur* opponi *probè dicamus. Sic ipſe Ovid. Faſt.* 6. *v.* 613. Signum erat in ſolio reſidens ſub imagine Tullî: Dicitur hoc oculis oppoſuiſſe manum. *Metam.* 12. *v.* 385. Jaculum torſit. quod cum vitare nequiret, Oppoſuit dextram paſſuræ vulnera fronti. *&* 13. 75. Oppoſui molem clypei; texique jacentem. *&* 14. 758. Ubi oppoſitas nitidiſſima ſolis imago Evicit nubes, nullâque obſtante reluxit. *Propert. l.* 2. *el.* 22. Oppoſitâ propellens ſuavia dextrâ. *Virg. Georg.* 3. *v.* 213. Atque ideo tauros procul atque in ſola relegant Paſcua, poſt montem oppoſitum. *Juvenal. Sat.* 11. *v.* 158. Oppoſito tegit inguina gutto. *Habeo & plura.* Ille

Ille feram [1] ſonuiſſe ratus, juveniliter arcus
Corripit: in dextrâ tela fuere manu.
Quid facis, infelix? non eſt fera: ſupprime [2] tela.
Me miſerum! jaculo fixa puella tuo eſt.
Hei mihi! conclamat, fixiſti pectus amicum.
Hic locus à Cephalo vulnera ſemper habet.
Ante diem morior, ſed nullâ pellice læſa:
Hoc faciet [3] poſitæ te mihi, terra, levem.
Nomine [4] ſuſpectas jam ſpiritus exit in auras:
[5] Labor io! carâ lumina conde manu.

---

[1] ſonuiſſe] vidiſſe *Regius & ſex alii. Scribo*, moviſſe? *ſcriptum fuit* Ille feram oviſſe. *omiſſo altero* m. *qui frequens error in libris antiquis. Ibidem*, —juveniliter arcum Corripit. arcus *ſcripti plerique cum prima editione. deinde* Arripit *tres ſcripti. ut libro Met.* 5. —arcum Arripit, &, Mecum tibi ſint certamina, dixit. *Met.* 13. —arripit enſem; Et meus hic certe eſt. *Heinſius.*

[2] telum *Membranæ noſtræ. & quinto* moriar.

[3] Hoc faciet poſitam te] *codex Regius mendoſe*, Hoc face & poſita eu te mihi terra livet. *Sed ſcribendum eſt* poſitæ te mihi. *& ſic Aproſianus. quod & è ſuis annotavit Naugerius.* Poſiti *vel* compoſiti *mortui.* &c. *Heinſius. Habet* poſita *Berſmanni quoque margo.*

[4] ſuſpectam mihi ſpiritus exit in auram: *vulg. aut* ſuſpectam jam ſp. *Noſtræ vet. membr.* ſuſpectas jam ſpiritus ibit in auras. ſuſpectas auras *ſcriptis & editioni primæ deberi teſtatur Heinſius.*

[5] Jam moriot.] Labor jam *quatuor libri. duo* Labor & ö. *Recte autem prima editio, Regius, & duo Vaticani,* Labor iö. *Diximus paulo ante.* Labi *pro* Mori. *&c. Idem.*

[1] Dixit: &, incauto paulatim pectore [2] lapſus,
Excipitur miſeri ſpiritus ore viri.
Ille ſinu dominæ morientia corpora mœſto
Suſtinet; & lacrymis vulnera ſæva lavat.

---

[1] *Scripti cum primis editionibus huic diſticho ſequens præponunt*, Ille ſinu dominæ. *& recte. modo pro* Dixit, *reſcribas* Exit. *ut ſit repetitio verborum Procridis. Nam τὸ* dixit *hic locum non habet, etſi in omnibus antiquis libris legitur. quod cum viderent correctores, ordinem verſuum inverterunt. Idem. Licet videam non omnes Scriptos ità habere, tamen multum iſta me movent; nec tantum tamen, ut feram textum ſine libro mutatum.*

[2] labens *membranæ noſtræ veteres, ſervato quoque quem reddi ordine. tertio leg. etiam* pectora *verſum male.*

Theſea Pirithoüs non tam ſenſiſſet amicum,
Si non infernas vivus adîſſet aquas.
Ut foret exemplum [1] veri [2] Phocæus amoris,
Fecerunt Furiæ, triſtis Oreſta, tuæ.
Si non Eurya:lus Rutulos cecidiſſet in hoſtes;
Hyrtacidæ [3] Niſo gloria nulla foret.
Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.
Dum juvat, & vultu ridet Fortuna [4] ſereno;
Indelibatas cuncta ſequuntur opes.
At ſimul intonuit; fugiunt: nec noſcitur ulli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

---

[1] *Membranæ eædem* veteris.
[2] *Pylades.*
[3] Niſi *vulg.*
[4] ſecundo: *membr. noſtræ.*

Siquis

SIquis habes [1] noſtri ſimiles in imagine vultus;
Deme meis hederas Bacchia ſerta comis.
Iſta decent lætos felicia ſigna poëtas.
Temporibus non eſt apta corona meis.
[2] Hoc tibi diſſimula, ſenti tamen, optime, dici,
In digito qui me ferſque [3] referſque tuo:
Effigiemque meam fulvo complexus in auro
Cara relegati, [4] qua potes, ora vides.
Quæ quoties ſpectas, ſubeat tibi dicere [5] forſan,
Quam procul à nobis Naſo ſodalis abeſt!
Grata tua eſt pietas: ſed carmina major imago
Sunt mea; quæ mando qualiacunque legas:
Carmina mutatas hominum dicentia formas:
Infelix domini quod fuga rupit opus.
Hæc ego diſcedens, ſicut [6] bene multa meorum,
Ipſe meâ poſui mœſtus in igne manu.

---

[1] *Vulg.* noſtris *& in ſequenti* Bacchica.

[2] Hæc tibi diſſimula, ſentis tamen omnia dici] *ſcripti plerique cum primis editionibus* ſenti tamen optime dici. *&* Hoc *pro* Hac. *Lege,* Hoc tibi diſſimulas, ſentis tamen, optime, dici. *Heinſius. Idem edidit,* Hæc tibi diſſimulas, ſentis tamen, optime, dici. *Ego non uſus emendatione Ciofanum & Meliſſum ſequor.*

[3] teraſque *ſcribendum videtur. Sic Triſt.* 3. *El.* 8. *pro* fertque feretque, *ſcripti fere omnes* fertque refertque. *Pont.* 4. *El.* 1. Auxilium vitæ fertque refertque meæ. *ubi cenſeo reponendum* feretque *quod ſequentia ibi requirunt. Heinſius.*

[4] *Idem protulit è tribus ſcriptis pro* quæ.

[5] *Leg. &* ſaltem.

[6] bona *vulg.*

Utque cremaſſe ſuum fertur ſub ſtipite natum
Theſtias, & melior matre fuiſſe ſoror;
Sic ego non meritos mecum peritura libellos
Impoſui rapidis viſcera noſtra rogis.
Vel quod eram Muſas, ut crimina noſtra, peroſus:
Vel quod adhuc creſcens & rude carmen erat.
Quæ quoniam non ſunt penitus ſublata, ſed exſtant;
(Pluribus exemplis ſcripta fuiſſe reor)
Nunc precor ut vivant, & non ignava legentem
Otia delectent, admoneantque mei.
[1] Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo;
Neſciet his ſummam ſi quis abeſſe manum.
Ablatum mediis opus eſt incudibus illud;
Deſuit & ſcriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non faſtiditus ſi tibi, Lector, ero.
Hos quoque ſex verſus, in [2] primâ fronte libelli
Si præponendos eſſe putabis, habe.

---

[1] Non tamen ——Neſciat] Nec *veteres &* Neſciet. *Heinſ.*

[2] *Scribe* primi. *Inepte enim Metamorphoſes* libellus *vocentur, quas ipſe libro* 2. Majus opus *ſit appellaturus. ſic alibi,* Sex ego Faſtorum ſcripſi totidemque libellos. *&,* Qui modo Naſonis fueramus quinque libelli, Tres ſumus.— *de Amorum libris. atque ita paſſim alibi. Idem. Correctionem è conjectura, proba quidem, verùm non uſquequaque certiſſima, natam eieci textu licet invitus. Poteſt etiam legi,* in primâ fronte libellis Si præp.

Orba

Orba parente ſuo quicunque volumina [1] tangis;
His ſaltem veſtrâ detur in Urbe locus.
Quoq; magis [2] faveas, [3] non ſunt hæc edita ab ipſo,
Sed quaſi de domini funere rapta ſui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, ſi licuiſſet, [4] erat.

---

[1] *Al.* cernis.

[2] *Quòd* foveas *in quatuor libris habetur, nihil morandum:* faveas *magis congruit cum τῷ* edita.

[3] non hæc ſunt *aut* non ſunt hæc edita ab illo, *vulg.*

[4] eram *al.*

IN caput alta ſuum labentur ab æquore retro
Flumina: converſis Solque recurret equis.
Terra feret ſtellas: cœlum findetur aratro:
Unda dabit flammas: & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt:
Parſque ſuum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ poſſe negabam:
Et nihil eſt, de quo non ſit habenda fides.
Hæc ego vaticinor; quia ſum deceptus ab illo,
Laturum miſero quem mihi rebar opem.
Tantane te, fallax, cepêre oblivia noſtri,
[1] Afflictumque fuit tantus adire timor;
Ut neque reſpiceres, nec ſolarêre jacentem;
Dure? nec exſequias proſequerêre meas?
Illud amicitiæ [2] ſanctum ac venerabile numen
[3] Re tibi pro vili ſub pedibuſque jacet?
Quid fuit, ingenti proſtratum mole ſodalem
Viſere, & alloquii parte levare tui?
Inque meos ſi non [4] lacrymam dimittere caſus,
Pauca tamen ſicco verba dolore queri?

---

[1] Afflictumne *maluit Heinſius, ediditque invitis libris.*

[2] ſanctum & venerabile nomen] quondam venerabile *quidam veteres. & numen liber Petri Servii. ut Pont. lib. 2. El. 3.* Illud amicitiæ quondam venerabile numen Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet. *ſic & ibi veterrimus Codex Sarravianus. Heinſius.*

[3] Nunc tibi *Vicentina editio. Cogita, num recipiendum.*

[4] *Vulg.* lacrymas. *Proximo ego dedi ex membr. n. veteribus* ſicco *pro* ficto; *& Heinſius ex uno itidem ſuo* queri *pro* loqui.

Idque

Idque, quod [1] ingrati faciunt, valedicere ſaltem;
Et vocem populi publicaque ora ſequi?
Denique lugubres vultus, numquamque videndos
Cernere ſupremo, dum licuitque, die?
Dicendumque ſemel toto non amplius ævo
Accipere, & parili reddere voce, Vale?
At fecêre alii nullo mihi fœdere juncti;
Et lacrymas animi ſigna dedêre ſui.
Quid niſi convictu cauſſiſque valentibus [2] eſſem,
Temporis & longi [3] vinctus amore tibi?
Quid, niſi tot luſus & tot mea ſeria noſſes,
Tot noſſem luſus ſeriaque ipſe tua?
Quid, ſi duntaxat Romæ mihi cognitus eſſes,
Adſcitus toties in genus omne [4] loci?
Cunctane in [5] æquoreos abierunt irrita ventos?
Cunctane Lethæis merſa feruntur aquis?
Non ego te [6] placidâ genitum reor urbe Quirini;
Urbe, meo quæ jam non adeunda pede eſt:
Sed ſcopulis, Ponti quos hæc habet ora ſiniſtri;
Inque feris Scythiæ Sarmaticiſque jugis.

---

[1] *Et hoc ex iiſdem membr. iterum, ut mihi videtur, mirificis arripui pro* ignoti

[2] *Al.* eſſes, *& in ſequenti* mihi.

[3] junctus] *bene opt. Palat. & unus Mediceus* vinctus amore. *nam* fœdere juncti *paulo ante præceſſerat. Vide Notas Faſt.* 4. *v.* 224. *Heinſius.*

[4] *Vulg.* joci?

[5] Æolios *unus pro diverſa lectione.*

[6] *Sic editio N. Heinſii pro* genitum placidâ.

Et

Et tua ſunt ſilicis circum præcordia venæ;
Et rigidum ferri ſemina pectus [1] habet:
Quæque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat:
[2] Aut mala noſtra minus, quam nunc, aliena putaſſes;
Duritiæque mihi non agerêre reus.
Sed quoniam [3] accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Ut careant numeris tempora prima ſuis;
Effice, peccati ne ſim memor hujus; & illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum.

---

[1] *Ex uno libro fecerat Heinſ.* habent: *ſed ex iis, quæ in locum & alibi adduxit, non videtur probari. Proximo* tibi tenero quondam *edit. Blaviana.*

[2] Aut mala noſtra minus quam non aliena putares] At mala & putaſſes *meliores. Deinde* quam nunc *unus Vaticanus. vere. quomodo etiam doctiſſimus Tanaquillus Faber vidit ſcribendum Epiſtola* 23. *Combianus pro diverſa lectione,* quia nunc. *Senſus eſt. At ſaltem mala noſtra minus à te aliena putaſſes, quam nunc putas. Heinſius. Verum iſte ſenſus quia cum ſuperioribus nihil cohæret, reddidi τὸ* Aut; *notamque, quæ præceſſerat, abſolutæ ſententiæ immutavi.*

[3] accedunt i. hac *Edit. Vicentin. Deinde tertio membranæ noſtræ* non ſim memor.

Littera

LIttera quæcunque eſt toto tibi lecta libello,
Eſt mihi ſollicitæ tempore facta[1] viæ.
[2] Aut hanc me, gelido tremerem cum menſe De-
Scribentem mediis Hadria vidit aquis: [cembri,
Aut, poſtquam bimarem curſu ſuperavimus Iſth-
Alteraque eſt noſtræ ſumta carina fugæ; [mon,
[3] Quod facerem verſus inter fera murmura ponti,
Cycladas Ægæas obſtupuiſſe puto.
Ipſe ego nunc miror, tantis animique mariſque
Fluctibus ingenium non cecidiſſe meum.
Seu ſtupor huic ſtudio, [4] ſive huic inſania nomen;
Omnis ab hac curâ mens relevata mea eſt.

---

[1] *Quam proficiſcebatur ad Pontum relegatus.*

[2] Aut hæc] hanc *meliores.* Decembris *etiam pri. Vatic. Barberin. & Rottendorph. Lege* gelidi Decembris. *ſic lib.* 2. *bene codex vetus,* Talia luduntur fumoſi menſe Decembris. *ubi* fumoſo Decembri *nunc circumfertur. Heinſius. Concinnitas placet. Nihil cogit tamen hîc ut probemus mutatum ſine libris textum. Sed & hoc aliquam moram affert ne huic accredam conjecturæ, quod ſic non patet, quid locum corruperit. Et meam igitur do,* Aut hanc me gelidus, tremerem cum menſe Decembri, Scribentem mediis Hadria vidit aquis. *Nempe iſtoc modo ſentitur, cur mutârint τὸ* gelidus. *In mentem venit & hoc,* Aut hanc me, gelido tremerem cum menſe, December Scribentem mediis Hadria vidit aquis.

[3] *Malo* Quid. *& à fine præcedentis abſolutæ ſententiæ notam ſuſtuli. Nam diſtichon ſuperius neceſſe eſt ut intelligatur cum hoc cohærere. Nonnulla ſane ineſt ἀνακολουθία.* puto obſtupuiſſe; *pro* obſtupuerunt, ut puto.

[4] *Pro* ſive eſt inſania *ed. N. Heinſii. unde, non video.*

Sæpe

Sæpe ego nimboſis dubius jactabar ab [1] Hœdis:
Sæpe minax Steropes ſidere pontus erat.
Fuſcabatque diem [2] cuſtos [3] Erymanthidos Urſæ;
Aut Hyadas [4] ſeris hauſerat Auſter aquis.
Sæpe maris pars intus erat; tamen ipſe trementi
Carmina ducebam qualiacunque manu.

---

[1] *Sidere. ſed* horis *membr. noſtræ.*

[2] *Arctophylax.*

[3] *Eædem* athlantidos.

[4] ſeris hauſerat] auxerat *libri nonnulli. ſed fruſtra. Videtur enim ad nomen Auſtri alludere. Statius de tempeſtate Theb.* 9. —cum Pliadas haurit, Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis. *In Catalectis Pithœi*, At Notus è medio ſolis dat flamina curſu, Auſtrum rite vocant, quia nubila flatibus haurit. *pro* ſeris aquis *plerique veteres, meliores certe,* ſævis. *&c. Heinſius. Nam aut probandæ hîc voci* ſævis, *(quam ab Ovidii manu profectam nemo unquam non probaſſet;) aut commendandæ pro eâ* pluviis, *aut* paverat *pro* hauſerat, *ſine libris utrique, loci nihil eſſe, ſi quis τὸ* ſeris *clarè fuerit interpretatus, judicatum iri confido. Columell. l.* II. *c.* 2. Pridie Idus April. Suculæ celantur: hiemat. *Mox.* XIIII Cal. Maias Suculæ ſe veſperi celant. pluviam ſignificat. *Aliquanto inferiùs*, XII Cal. Junias Suculæ exoriuntur. Septentrionales venti: nonnunquam Auſter cum pluviâ. *En tibi imbres ab Hyadibus ὀμβρίμους. Vide iterum Columellam (cui Geminus in* Εἰσαγωγῇ, *& Ptolemæus in* Φάσιν *non multum abſimilia recenſent) medio ferè eodem capite,* Quartodecimo Calendas Decembris ſol in Sagittarium tranſitum facit: Suculæ mane oriuntur. tempeſtatem ſignificat. *Deinde,* Undecimo Calendas Decembris Sucula mane occidit. hiemat. *Et ſtatim,* Pridie Calendas Decembris totæ Suculæ occidunt. Favonius, aut Auſter: interdum pluvia. *Cernis, opinor,* ὀμβρίμους *quoque ſeu* feras Hyadum aquas, *eaſque nihilo plus abhorrentes à tempore hujus navigationis, quam quantum poetis ſemper licuit aberrare.*

Nunc

Nunc quoq; contenti [1] ſtridunt Aquilone rudentes;
Inque modum tumuli concava ſurgit aqua.
Ipſe gubernator tollens ad ſidera palmas
Expoſcit votis immemor artis opem.
Quocunque [2] aſpexi, nihil eſt, niſi mortis imago:
Quam dubia timeo mente, timenſque precor.
[3] Attigero portum, portu terrebor ab ipſo.
Plus habet infeſtâ terra timoris aquâ.
Nam ſimul inſidiis hominum pelagique laboro;
Et faciunt geminos enſis & unda metus.
Ille meo vereor ne ſperet ſanguine prædam:
Hæc titulum noſtræ mortis habere velit.
Barbara pars læva eſt, avidæ [4] ſubſtrata Rapinæ;
Quam cruor & cædes bellaque ſemper habent.
Cumque ſit hibernis agitatum fluctibus æquor;
Pectora ſunt ipſo turpidiora mari.

---

[1] ſtrident *vulg.* diſtenti *unus.* *deinde* cumuli *tres*, *pro* tumuli.

[2] Aſpicio, *nonnullis è libris, edidit Heinſius. maluit tamen, de ſua conjectura,* aſpicias. *Ego repoſui vulgatum* Aſpexi, ἀοριστως *capiendum. Sed & ſic gratior exoritur ſonus. Vide, an placeat,* Quo— Adſpicio. imago. timeo. *Nam ad conjecturam,* aſpicias, *quod attinet, in hoc loco parùm probatur, quia per ſecundam perſonam otioſe & frigide nimis tanto quidem pro terrore mihi poeta locutus exiſtimaretur.*

[3] Contingam *al. unus* Attingam.

[4] *Al.* ſubſtructa. ſubmiſſa. ſubtracta. ſubjecta. *Cæterùm* inſtructa *quoque quod Heinſius conjecerat inter varias lectiones ex edit. Aldi Manutii habetur apud Plantin. his verbis;* Rectius in nonnullis, *avidæque inſtructa rapinæ. Sed neque hanc, neque alteram ejuſdem conjecturam,* objecta; *ſed textum quem vides verum puto.*

Quo

Quo magis his debes ignoſcere, candide lector,
Si ſpe[1] ſint, ut ſunt, inferiora tuâ.
Non hæc in noſtris, ut quondam,[2] ſcribimus hortis:
Nec conſuete meum lectule corpus habes.
Jactor in indomito brumali luce profundo:
Ipſaque cæruleis charta ferîtur aquis.
Improba pugnat Hiems, indignaturq;, quod auſim
Scribere, ſe rigidas incutiente minas.
Vincat Hiems hominem. ſed eodem tempore quæſo
Ipſe modum ſtatuam carminis; illa ſui.

---

[1] *Sic vulg. nam quod legitur ap. Heinſium* ſint, ut ſint, *typographi erratum credo. Ipſe fecit è melioribus, uti teſtatur,* ſunt, ut ſunt: *voluit autem* ſunt, ut erunt; *iſto adducto,* Si qua meis fuerint, ut erunt vitioſa libellis. *Sed alia res eſt.*

[2] *Al.* ſcripſimus.

Ergo

ERgo erat in fatis Scythiam quoque viſere noſtris,
Quæque Lycaonio terra ſub axe jacet?
Nec vos, Pierides, nec ſtirps [1] Latonia veſtro
Docta ſacerdoti turba [2] tuliſtis opem?
Nec mihi quod luſi vero ſine crimine, prodeſt;
Quodque magis [3] vitâ Muſa jocoſa meâ?
Plurima ſed pelago terrâque pericula paſſum
[4] Uſtus ab aſſiduo frigore Pontus habet.
Quique fugax rerum, ſecuraque in otia natus,
Mollis & impatiens ante laboris eram;
Ultima nunc patior. nec me mare portubus orbum
Perdere, diverſæ nec potuêre viæ.
Suffecitque malis animus. nam corpus ab illo
Accepit vires; vixque ferenda tulit.
Dum tamen & [5] terris dubius jactabar & undis;
Fallebat curas ægraque corda [6] labor.

---

[1] Latoïa, *quod è libris aliquot dederat Heinſius, (qui in locum hunc videndus,) delevi reddito vulgato, quia crederem aut id, aut* Letoïa, *verum eſſe.*

[2] dediſtis *Membr. noſtr.*

[3] vita Muſa jocoſa mea eſt] *Membr. eædem* viſa muſa jocoſa mea. *Vicent. editio, aliæque, ut è Ciofano credibile,* muſa eſt viſa jocoſa mea. *Unde illud certè boni, ut recidamus* eſt *peſſimam hîc, ſi quid audio, clauſulam; & fuit rectiùs cum præcedente* luſi *cohærens ſubintelligamus.*

[4] *Eæd. membr.* Junctus.

[5] *Vulg.* ventis.

[6] *Eæd. membr.* dolor.

Ut

Ut via finita eſt, & opus requievit eundi;
Et pœnæ tellus eſt mihi tacta meæ;
Nil niſi flere [1] libet. nec noſtro parcior imber
Lumine, [2] quam verna de nive manat aqua.
Roma domuſque ſubit, deſideriumque locorum,
Quidquid & amiſsâ reſtat in Urbe mei.
Hei mihi, quod [3] noſtri toties pulſata ſepulcri
Janua, ſed nullo tempore aperta fuit!
Cur ego tot gladios fugi, totieſque minata
Obruit infelix nulla procella caput?
Di, quos experior nimium conſtanter iniquos,
Participes iræ [4] quos Deus unus habet;
Exſtimulate, precor, ceſſantia fata; meique
Interitûs clauſas eſſe vetate fores.

---

[1] *Unus* vacat.
[2] *Al.* de verna quam.
[3] *Sic edit. N. Heinſ.* pro toties noſtri.
[4] quam *al.*

Vade

VAde ſalutatum ſubitò perarata Perillam
Littera, ſermonis fida miniſtra mei.
Aut illam invenies dulci cum matre ſedentem,
Aut inter libros Piëridaſque ſuas.
Quidquid aget, cum te ſcierit veniſſe, relinquet:
Nec mora; quid venias, quidve, requiret, agam.
Vivere me dices; ſed ſic, ut vivere nolim:
Nec mala tam longâ noſtra levata morâ.
Et tamen ad Muſas, quamvis nocuere, reverti;
Aptaque in alternos cogere verba pedes.
Tu quoq;, dic,[1] ſtudiis communibus ecquid inhæres,
Doctaque non patrio carmina more canis?
Nam tibi cum facie mores Natura pudicos,
Et [2] raras dotes ingeniumque dedit.
Hoc ego Pegaſidas deduxi primus ad undas,
Ne male fœcundæ vena periret aquæ.
[[3] Primus id aſpexi teneris in virginis annis:

---

[1] muſis *Membranæ noſtræ.* ut quid inhæres *libri duo.* *deinde*, num patrio *unus.*

[2] caras *pri. Vat. Rottendorph. & Gottorph.* claras *Richelianus. puto*, Clarias dotes. *Superiori verſu* cum fatis *ſcripti omnes & primæ editiones, non* cum facie. *utrumque rectum.* Natura cum fatis dedit: *pro Natura & fata dederunt. de facie ejus & formâ poſt aget. Heinſius. Mihi tamen potior eſt poſteriorum edit. lectio iſta Epiſtolæ Paridis cogitanti,* Hanc faciem culpâ poſſe carere putas? Aut faciem mutes, aut ſis non dura, neceſſe eſt. Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ.

[3] *Uncis incluſos volui, dum corrigantur. & poſſunt eſſe ſuppoſititii.*

Utque pater [1] natæ, duxque comesque fui.]
Ergo, si remanent ignes tibi pectoris idem :
Sola tuum vates [2] Lesbia [3] vincet opus.
Sed vereor, ne [4] te mea nunc Fortuna retardet ;
Postque meos casus sit tibi pectus iners.
Dum licuit, tua sæpe mihi, tibi nostra legebam :
Sæpe tui judex ; sæpe magister eram.
Aut ego præbebam factis modo versibus aures ;
Aut, ubi cessaras, caussa ruboris eram.
Forsitan exemplo, quia me læsêre libelli,
Tu quoque sis pœnæ [5] fata secuta meæ.
Pone, Perilla, metum. tantummodo fœmina [6] ne sit
Devia, nec scriptis discat amare tuis.

---

[1] venæ, *&* patet venæ, *libri quaterni.* Veneris, *tres.* venis, nati, *&* juveni, *bini.* veni, *&* nemo, *singuli. Post hoc distichon olim in editis legebatur,* Tunc quoque, sed, *vel* si forsan nostrum delevit amorem Tempus, eras magno, *vel* eram nimio junctus amore mihi *vel* tibi.

[2] *Sappho.*

[3] *Unus* vincat. *tres cum edit. Vicent.* vincit.

[4] nunc mea te *ante edit. N. Heins.*

[5] *Vulg.* facta ruina. *Al.* fata secuta. *unus* pars bona facta. *Sed cùm aliquot libri habeant* facta secuta, *& conjecturâ opus esse videatur, viri docti voluerunt,* facta remissa. *quod, nisi nimium abiret à lectione librorum, non improbandum foret. Minori mutatione legi potest* facta severa : *id est, à lusu deliciisque poëticis aliena.*

[6] nulla Neve vir à scr.] *Sapit malam manum, si conferatur cum MS. lectione :* fœmina ne sit Devia, nec. Devius *idem quod* erro *in Ep. Sapphus :* erronem tellure admittite nostrum. *Et decentius est, si ad fœminam scribens moneat modo, ne fœminæ ex scriptis ejus amare discant. Ex Florent. unus :* fœmina nulla Devia ne à scriptis : *alter,* nulla Devia nec scriptis : *tertius,* fœmina non sit Devia ne scriptis. *I-*

Ergo

Ergo desidiæ remove, doctissima, causſas:
Inque bonas artes & tua sacra redi.
Ista decens facies longis vitiabitur annis:
Rugaque in antiquâ fronte senilis erit.
Injicietque [1] manum formæ damnosa Senectus;
Quæ strepitum passu non faciente venit.
Cumque aliquis dicet, Fuit hæc formosa; dolebis:
Et speculum mendax esse querêre tuum.
[2] Sunt tibi opes modicæ, cum sis dignissima magnis.
Finge sed immensis censibus esse pares.
Nempe dat id cuicunque libet Fortuna, rapitque:
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.

---

demque ex duobus notaverat Politianus. Forte: ne sit Devia, neu scriptis. *Gronovius. Inde Heinsius hæc:* Quidam *fœmina non sit Devia nec.* quod secutus est eruditissimus Gronov. Obs. l. 2. c. 3. alii scripti *fœmina nulla Devia ne* vel *de scriptis.* duo *Nec juvenis scriptis. Vides quanta festinatione Gronovium legerit. Neutrobi verò satis mihi factum est; cui quidem &* fœmina *&* vir *certa sunt glossemata. Sic sc. sentio, quî fieri potuit, ut è libris ejectum fuerit* Devia. *Ergo corrigebam,* tantummodo devia ne qua, Neve quis è scriptis. *ut æmulatus fuerit, dum Perillæ cavet ne fraudi sit alicujus quasi legis ignoratio, juris consultorum non nullo cum joco diligentiam; illorum enim istiusmodi sunt formulæ,* SI QUIS, SIVE QUÆ, SI QUOS QUASVE.

[1] manus *ed. Vicentin. & proximo Membrana nostr.* strepitus.

[2] Sunt & op. *vulg. & tertio* dat & quodcunque. *ubi* cuicunque *factum ex uno libro,* id *ex pluribus. Sequenti legitur etiam* Cossus, *&* Crassus.

Singula [1] quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
En ego, cum patriâ caream, vobiſque, domoque;
Raptaque ſint, adimi quæ potuêre, mihi;
Ingenio tamen ipſe meo comitorque fruorque:
Cæſar in hoc potuit juris habere nihil.
[2] Quilibet hanc ſævo vitam mihi finiat enſe;
Me tamen exſtincto fama ſuperſtes erit.
Dumque ſuis victrix omnem de montibus orbem
Proſpiciet domitum Martia Roma, legar.
Tu quoque, quam ſtudii maneat felicior uſus,
Effuge venturos, [3] qua potes, uſque rogos.

---

[1] *Al.* ne ref.

[2] Qui licet *al. tertio Vulg.* ſeptem de m. *duo* totum.

[3] quam *octo veteres, inquit Heinſius; Sed in hoc loco nequaquam cum illo præferendum.*

Hic

Hic quoq;[1] ſunt igitur Grajæ (quis crederet?) ur-
Inter inhumanæ nomina barbariæ. [bes,
Huc quoque Mileto miſſi venêre coloni,
Inque Getis Grajas conſtituêre domos.
Sed vetus huic nomen, poſitâque antiquius urbe,
Conſtat ab Abſyrti cæde fuiſſe, loco.
Nam[2] rate, quæ curâ pugnacis facta Minervæ,
Per non tentatas prima cucurrit aquas;
Impia deſertum fugiens Medea parentem,
Dicitur his remos applicuiſſe vadis.
Quem procul ut vidit tumulo ſpeculator ab alto
[3] Hoſpes, ait, noſco Colchide vela, venit.

---

[1] ſunt urbes Graiæ, quis crederet unquam? *al.* ſunt urbes Graiæ (quis credere poſſet) *editio Vicent.* ſunt unquam grece quis crederet urbes *noſtræ membranæ. Verum poteſt eſſe,* Hic quoque ſunt uſquam Graiæ (quis crederet?) urbes Inter inhumanæ nomina barbariæ? *Terent. Andr.* Neque iſtic, neque alibi uſquam tibi erit in me mora. *& Heautont.* Hinc ſciri potuit, aut nuſquam alibi.

[2] *Argo.*

[3] vela dari *plerique veteres cum priſcis editionibus.* Colchida *etiam plurimi. opt. Vatic.* Colchidus. *duo* vela dedit. *pri. Polit.* vela velit. *Zulichemianus* vela ſequi. *Sed fruſtra. Scribo,* Hoſtis, ait, noſco, Colchidi, vela, venit. *Ait Colchidi, hoſtis venit, noſco vela. Hæc eſt conſtructio. Appoſite autem perplexa utitur oratione ſpeculator, quod proprium eſt conſternatorum & trepidantium. Vide notas lib.* 2. *Faſt. v.* 370. *Heinſius. Vulgatam, Heinſianæ licet conjecturæ vix parem, interpretor tamen:* Æeta hoſpes (*nam* Excepit hoſpitio juvenes Æeta Pelaſgos) venit à terrâ Colchide: noſco vela. *Seu mavis,* Æeta hoſpes venit: noſco vela à Colchide.

Dum trepidant Minyæ, dum ſolvitur aggere funis,
Dum ſequitur celeres ancora tracta manus;
Conſcia percuſſit meritorum pectora Colchis,
Ausâ atque auſurâ multa nefanda manu.
Et, quanquam ſupereſt ingens audacia menti,
Pallor in[1] attonito virginis ore ſedet.
Ergo ubi proſpexit venientia vela; Tenemur,
Et pater eſt aliquâ fraude[2] morandus, ait.
Dum quid agat quærit, dum verſat in omnia vultus;
Ad fratrem caſu lumina flexa tulit.
Cujus ut oblata eſt præſentia; [3]Vincimus, inquit.
Hic mihi morte ſuâ cauſſa ſalutis erit.
Protinus ignari nec quidquam tale[4] timentis
Innocuum rigido perforat enſe latus.
Atque ita divellit, divulſaque membra per agros
Diſſipat in multis invenienda locis.
[5]Neu pater ignoret, ſcopulo proponit in alto
Pallenteſque manus, ſanguineumque caput.
Ut genitor luctuque novo tardetur, & artus,
Dum legit extinctos, triſte[6] moretur iter.
Inde Tomis dictus locus hic; quia fertur in illo
Membra ſoror fratris conſecuiſſe ſui.

---

[1] *Heinſ. ex uno libro pro* attonitæ. *tum,* ſedet *pro* fuit *Gronovius cum eodem è quatuor.*

[2] tenendus *pri. Polit. & pro diverſa lectione Gottorpianus. Scribe,* —Tenemur, Aut pater eſt aliquâ fraude tenendus, ait. *Si quis* τὸ morandus *malit, nil repugno. Heinſius.*

[3] Vicimus, *vulg.*

[4] *Edit. Vicent.* timenti.

[5] Ne pater ignoret ſcopulo proponit ab alto *Membrana noſtra.*

[6] *Vulg.* retardet. *atque ſequenti* Tomos. *al.* Tomus.

Nec

* * *

NEc procul à nobis locus eſt, ubi Taurica dirâ
Cæde pharetratæ [1] paſcitur ara Deæ.
Hæc prius, ut memorant, non invidioſa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Hîc, pro ſuppoſitâ virgo [2] Pelopeïa cervâ
Sacra Deæ coluit qualiacunque ſuæ.
Quo poſtquam, [3] dubium pius an ſceleratus, Oreſtes
Exactus furiis venerat ipſe ſuis,
Et comes exemplum veri Phocæus amoris;
Qui duo corporibus, mentibus unus erant;
Protinus evincti [4] Triviæ ducuntur ad aram,
Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores.
Nec tamen hunc ſua mors, nec mors ſua terruit illum:
Alter [5] ob alterius funera mœſtus erat.
Et jam conſtiterat ſtricto mucrone ſacerdos;
Cinxerat & Grajas barbara vitta comas:
Cum vice ſermonis fratrem cognovit, & illi
Pro nece complexus Iphigenîa dedit.
Læta Deæ ſignum crudelia ſacra peroſæ
Tranſtulit ex illis in meliora locis.

---

[1] *Sic libri tres aut quatuor pro* ſpargitur.

[2] *Iphigenia, Pelopis proneptis.*

[3] *Leg. &* dubium eſt.

[4] triſtem] *Barberin. & fragmentum Vatic. pro diverſa lectione* Triviæ. *quod & Voſſianus confirmat. recte. Pont.* 3. *El.* 2. *locus huic geminus,* Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram, Evincti geminas ad ſua terga manus. *Heinſius.*

[5] *Ita quatuor. al.* ob ſunere. *Vulg.* ab ſunere.

Hæc igitur regio, magni [1] pene ultima mundi,
Quam fugere homines Diq;, propinqua mihi eſt.
[[2] Atque meam terram prope ſunt funebria ſacra,
Si modo [3] Naſoni barbara terra ſua eſt.]
O utinam venti, quibus eſt ablatus Oreſtes,
Placato referant & mea vela Deo!

---

[1] *Reſtitui* pene ultima; *pro quo duobus ex libris* penetralia *ſuffecerat Heinſius. Viſa enim eſt mihi vox iſta vituperanti parùm accommoda.*

[2] *Diſtichon etiam hoc Ovidianæ venæ vix eſt ut cenſeatur. Heinſius.*

[3] Naſonis, *al.*

TEmpore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.
Quæque ſui [1] monitis obtemperat Inda magiſtri
Bellua, ſervitium tempore victa ſubit.
Tempus, ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixq; merum capiant grana, quod intus habent.

---

[1] *Debetur editioni N. Heinſii, cùm antea* juſſis *legeretur. Atque oblitus is videtur annotare, ubi repertum.*

Tempus

Tempus & in canas [1] ſemen producit ariſtas;
Et ne ſint triſti poma ſapore [2] cavet.
Hoc tenuat dentem [3] terras renovantis aratri;
Hoc [4] rigidos ſilices, hoc adamanta terit.

---

[1] ſemen perducit] *pro* ſemen *unus Vatic.* ſemper. *Buſlid.* ſpeciem. *Lege* ſpicam, *vel* ſegetem *aut* meſſem. *pro* perducit *pri. Vatic. & alii plurimi* producet. *Heinſius. Credo typographicum errorem pro* producit. *quod & ipſe edidit, & ante eum alii; & legebatur à Ciofano, & noſtræ membranæ comprobant. Quod ad conjecturas attinet; video* ſegetem *in Blavianâ quoque editione: ſed omnibus longe præſtat* ſemen. *Sic enim ſpectandum, ſi pro dignitate mirari volumus, opus Temporis è jacto ſemine maturas ariſtas extollentis.*

[2] *Unus pro* facit. *Proximo,* Hoc dentem tenuat terram renovantis, *ed. Vicentina.*

[3] terram findentis] *multi* terras findentis *vel* ſcindentis. *Barberin. & opt. Medic. cum duobus aliis & priſcis editionibus,* terras renovantis. *& placet.* &c. terras patientis *pri. Vatic. an forte ſcribendum?* Attenuat dentem tempus patientis aratri. *ut Amor.* 1. *El. ult.* Ergo cum ſilices, cum dens patientis aratri Depereant ævo. *Heinſius.*

[4] rigidas *meliores magno numero. ſic & alibi. Idem. In re tam dubia, ad veterem editorum lectionem redii; quia ſervandum id arbitrarer, unde gratior auribus accideret ſonus. Lucretius* 1. *v.* 572. validi ſilices. *iterumque* 2. *v.* 449. *Idem* 5. *v.* 314. Non ruere avolſos ſilices. *Noſter Met.* 2. *v.* 706. In durum ſilicem. *&* 7. *v.* 107. ſilices ſoluti. *Neque enim invenio his locis quenquam aut librum aut hominem litem moviſſe. Lib.* 9, 303. motura duros verba ſilices. *ubi* duras *unus ſolummodo liber. Paulo ante in eodem,* In rigidos verſum ſilices. *ſed duo* rigidas. *quo etiam modo non niſi tres lib.* 11, 45. *cæteri,* Te rigidi ſilices. *Sextus reſtat locus l.* 9, 613. *ubi ſanè duodecim in libris invenit Heinſius* rigidas ſilices; *ubique, neque alibi aſtipulantes habet membranas noſtras.*

Hoc

Hoc etiam ſævas paullatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, mœſtaque corda[1] levat.
Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa Vetuſtas
Præterquam curas attenuare meas.
Ut patriâ careo; bis frugibus area trita eſt:
Diſſiluit nudo preſſa bis uva pede.
[2] Nec quæſita tamen ſpatio patientia longo eſt;
Menſque mali ſenſum noſtra recentis habet.
Scilicet[3] & veteres fugiunt juga ſæpe juvenci:
Et domitus fræno ſæpe repugnat equus.
Triſtior eſt etiam præſens ærumna priore:
[4] Ut ſit enim ſibi par, crevit, & aucta mora eſt.
Nec tam nota mihi, quam ſunt, mala noſtra fuerunt:
Sed magis[5] hoc, quo ſunt cognitiora, gravant.
Eſt quoque non[6] minimum, vires afferre recentes;
Nec præconſumtum temporis eſſe malis.
Fortior in fulvâ novus eſt luctator arenâ.
Quam cui ſunt tardâ[7] brachia feſſa morâ.
Integer[8] eſt nitidis melior gladiator in armis,
Quam cui tela ſuo ſanguine tincta rubent.

---

[1] *Duo* domat. *Sed cur huc adducitur illud Phædræ ad Hipp* duraque corda doma?

[2] Non quaſſata *totidem.* Non quæſita *ed. Vic.*

[3] *Noſtræ membran.* ut veteres. *Lib. etiam unus* juga curva.

[4] Ne ſit enim *membr. eædem*; *ſententia fortaſſe expeditiore.*

[5] *Ibidem* hoc quod ſint *alibi etiam* hæc, quo ſunt.

[6] *Quatuor* nimium. *duo* nihilum, *& pro diversâ lectione tertius.*

[7] *Membr. n.* corpora.

[8] *Edidit N. Heinſ. pro* eſt melior nitidis. *porro Vicent. edit.* & melior n. gl. arenis.

Fert

Fert bene præcipites navis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo ſolvitur imbre vetus.
[1] Nos quoque, quæ ferimus, tulimus patientius ante;
[2] Et mala ſunt longâ multiplicata die.
[3] Credite, deficio, noſtroque à corpore quantum
Auguror, accedunt tempora parva malis.

---

[1] Nunc quoque *membr. noſtræ.*

[2] Quæ mala ſunt longa multiplicata die] Et mala *rectè veteres. unus cum Berſmanni libro* quam. *quomodo & Gronovius conjiciebat.* longo *etiam* die *nonnulli. Heinſius. Sed non adeo facile in textum recipi debuiſſe credo. Dies* fœminino genere tempus: & ideo diminutive *diecula* dicitur breve tempus & mora. *Aſconius in Act.* 1. *in Verr. Paria videtur ſenſiſſe Donatus in Andr. Terent. act.* 4. *ſc.* 2. *& Servius in Æneid.* 2. *diem* fœminino genere poſitum tempus *ait* ſignificare. *Chariſius vero l.* 1. *ipſum quoque* Varronem *ita* diſtinxiſſe *teſtatur*, ut fœminino temporis ſpatium ſignificaret. *Nonium video, unum è Turpilio contrarium exemplum adduxiſſe, & Priſcianum ex Lucano & Statio ſingula. Sed iſta nuſquam maximæ ſunt auctoritatis. & hîc parem Tibulli locum, quàm Turpilium, Naſonem ſecutum magis eſt credibile.* Longa dies homini docuit parere leones: Longa dies molli ſaxa peredit aquâ. Annus in apricis maturat collibus uvas: Annus agit *&c. Ipſe non aliter Met.* 14. *v.* 147. Tempus erit, cum me de tanto corpore parvam Longa dies faciat. *&* 15, 216. Fuit illa dies, qua ſemina tantum, Speſque hominum primæ, materna habitavimus alvo. *&* 1, 346, Poſtque diem longam nudata cacumina ſylvæ Oſtendunt. *ubi tamen unus liber* longum. *Cæterùm iſto ſenſu Fœmininum exhibent etiam Juriſconſulti veteres, Cicero, Virgilius, Horatiuſque.*

[3] *Hoc diſtichon eſt nugatoris, non Naſonianæ manûs. Heinſius. Noſtræ membranæ*, quantumque à corpore noſtro. *Sed ſcribendum credo*, Credite; deficio, noſtriſque (à corpore quantum Auguror) accedunt tempora parva malis. *ſic neminem diſticho libenter cariturum.*

Nam

Nam neque ſunt vires,[1] nec qui color ante ſolebat:
Vix habeo tenuem, quæ[2] tegat oſſa, cutem.
Corpore ſed mens eſt ægro magis ægra, malique
In circumſpectu ſtat ſine fine ſui.
Urbis abeſt facies, abſunt mea cura ſodales:
[3]Et, qua nulla mihi carior, uxor abeſt. [rum.
Vulgus adeſt Scythicum,[4] braccataq; turba Geta-
Sic,[5] male quæ video, non videoque, nocent.
Una tamen ſpes eſt, quæ me[6] ſoletur in iſtis;
Hæc fore morte meâ non diuturna mala.

---

[1] *Editio N. Heinſii* neque qui color eſſe ſolebat: Vixque habeo. *neque monſtratum, unde. Quas inſpexi*, nec qui color eſſe ſolebat: Vix habeo. *Secutus ſum membranas noſtras bene, opinor, ſervantes* ante ſolebat. *Sed & ſequens cauſas habet ſuſpicionis: & legebam*, Nam neque ſunt vires, nec qui color ante ſolebat; Vix adeo tenuis, quæ tegat oſſa, cutis.

[2] *Membr. noſtr.* tegit.

[3] *Scribo*, Et, qua nemo mihi carior. *niſi malis*, Et mihi qua nil eſt carius. *Heinſius, Si hæc ſatisfacere non poſſunt; cogita, numquid minus ſic frigeat ſententia*, —abſunt mea cura ſodales; Et, queis una mihi carior, uxor abeſt. *ſeu potius*, uxor, abes. *Videre videor, quid librarium fefellerit, ut* nulla *pro* una *corrigere conaretur.*

[4] bacchata *ed. Vicentina.*

[5] mala quæ video non videoque nocent] *an urbis faciem & ſodales abſentes pro malo numerat? non puto. Scribe* male nocent. *& adeantur quæ notavi Faſt. 2. v. 170. quidam ſcripti cum primis editionibus* Sic me movent. *Heinſius. Senſus eſt*, quæ male video, quæque male non video, nocent.

[6] *Al.* ſolatur.

Non

NOn adeò cecidi, quamvis abjectus, ut infra
Te quoq; ſim: inferius quo nihil eſſe poteſt.
Quæ tibi res animos in me facit, improbe? cúrve
Caſibus inſultas, quos potes ipſe pati?
Nec mala te reddunt mitem [1] placidumve jacenti
Noſtra, quibus [2] poſſint illacrymare feræ?
Nec metuis dubio Fortunæ ſtantis in orbe
Numen, & exoſæ verba ſuperba [3] Deæ?
[4] Exiget at dignas ultrix Rhamnuſia pœnas,
Impoſito calcas quod mea fata pede.
[5] Vidi ego naufragiumq; viros & in æquore mergi:
Et, Nunquam, dixi, juſtior unda fuit.

---

[1] *Al.* placidumque.

[2] poſſunt] *malo* poſſint *cum Gottorphiano. duo alii* poſſent. *Heinſius.*

[3] *Nemeſis.*

[4] Exiget at dignas] à dignis *pri. Pal. pri. Vatic. opt. Medic. aliique nonnulli. duo* [*cum Berſmann.*] ad dignas. ac dignas *Arondel.* [*cum Ciofan.*] *In nonnullis etiam* Exigit. *Lege* Exigit ah dignas. *ſequenti verſu pro* quod *pri. Politian.* qui. *reliqui majori ex parte* quid. *Heinſius. Ubi, monendum, membranas noſtras & editionem Vicent. habere* cur; *hanc etiam* cur mea facta. *Iſtuc* ah *hac quidem in re non ſatis placet. Tum abruptius ſequi videtur in edit. Heinſii* Impoſito calcas quid *&c. Neſcio an melius ſic legere poſſimus,* Exiget at dignas ultrix Rhamnuſia pœnas, Impoſito calces qui mea fata pede.

[5] *Numeri turbati ſatis evincunt verſum eſſe mendoſum. Optimus Mediceus* naufragioque. *Rottendorphianus pro diverſa lectione* navifragoque. *Scribe,* Vidi ego navifrago piratas æquore mergi. *niſi mavis* navifragum qui riſerat, *vel,* navifragum ridentes. *Sed prima lectio verior. duo libri,* naufragium nautas & in æquore mergi. *Heinſius. Adjeciſſet utinam ſiquid & in aliis libris variatum. Noſtræ membranæ* nautragiumque viroſque & in æquore. *Berſmann. ed.* naufragiumque,

fragiumque, viroſque ſub æq. *Prior Heinſii conjectura longiùs abit & à libris & à ſententia quam locus videtur poſtulare: Utravis, unde tanta labes, parùm indicat; atque rem mihi vix ſatis credibilem narrat. Nam quotuſquiſque, obſecro, homines naufragos ridet? aut ubi deriſores iſtos; ubi verò aut piratas Ovidius* ipſe *ſpectare potuit naufragio pereuntes? Quid affertur denique, (præter unam quidem vocem,* navifrago *ſeu* naviſragum,) *quod morari potuit librarios, aut medicinam ſuam poſcere videri? Propono igitur & meam conjecturam, liberiorem ſanè quam vellem. Sed cogitent alii.* Vidi ego naufragium rapturos æquore mergi. *Hominum genus & hodie & olim, nimium quoque, notum; de quo Phædrus,* Prædones adſunt, rapiunt quod quiſque extulit. *Hos autem, immaniſſimos enatantium ſpoliatores, dum aviditate rapinæ procurſant in mare, in fluitantia navigiorum membra eſcendunt, onuſtique ut ſit rixantur, in aquis non nullos perire quivis, credo, non longiſſimus à duro litore habitator videre poteſt aliquando, neque miſereri. Talis in noſtrum Ibis, in quem iſta,* Cùm ego quaſſa meæ complectar membra carinæ, Naufragii tabulas pugnat habere mei. *Et hæc ipſa Elegia credi poteſt in eundem ſcripta. Eandem certè querelam iiſdem pene verbis hîc ſignat,* Impoſito calcas mea fata pede; *atque illic,* calcaſti qui me, violente, jacentem. *Poterant, quod reſtat, neſcire correctores, quid ſibi vellet* naufragium rapere, *aut dici* naufragium, *quicquid, fracta nave, ſeu navis ipſius, ſeu mercium, fluitet, ejiciatur, aut perdatur. Id autem docebit Cicero Epiſt.* 13. *lib.* 4. *ad familiar.* Careo cum familiariſſimis multis, *&c.* tum omnibus amicis, *&c.* verſorque in eorum naufragiis & bonorum direptionibus. *& in orat. pro Sextio.* Sed neceſſe eſt, —me totum ſuperioris anni reipub. naufragium exponere: in quo colligendo, ac reficienda ſalute communi, omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, conſilia verſata. *& pro C. Rabirio perduell. reo,* Nec tuas unquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sex. Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres.

Vilia

Vilia qui quondam miſeris alimenta [1] negarat,
Nunc mendicato paſcitur ipſe cibo.
Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modo læta [2] manet, vultus modo ſumit [3] acer-
Et tantum conſtans in levitate ſuâ eſt. [bos;
Nos quoque floruimus, ſed flos erat ille caducus;
Flammaque de ſtipula noſtra breviſque fuit.
Neve tamen totâ capias fera gaudia mente;
Non eſt placandi ſpes mihi nulla Dei.
Vel quia peccavi citra ſcelus; utque pudore
Non caret, invidiâ ſic mea culpa caret:
Vel quia nil ingens, ad finem Solis ab ortu,
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
Scilicet ut [4] non eſt per vim ſuperabilis ulli,
Molle cor ad timidas ſic habet ille preces.
Exemploque Deûm, quibus acceſſurus & ipſe eſt,
Cum pœnæ veniâ plura [5] roganda petam.

---

[1] *Membr. n.* negabat. *& proximo* ille cibo. *vulg. tertio autem eædem membranæ* fortuna volatilis.

[2] *Fort.* movet, *i. e. movet ſe. Et ſic divam intellige* ſaltantem *induci. Satis autem tritum eſt hoc verbum abſolutè ſine accuſativo. Qui hæc non viderent, credi poſſunt locum corrupiſſe, præſertim in iſtâ literarum ſimilitudine.*

[3] *Eædem m.* amaros. *hinc tertio, vulgat.* flos fuit.

[4] per vim non eſt *ed. Vicent. Plant. & D. Heinſii.*

[5] neganda *Combianus. duo* cum venia pœnæ. *Aut deſunt hic nonnulla, aut verſus eſt mendoſus. Putabam aliquando,* Cum pœnæ venia plura ferenda putat. *Tanaquillus Faber in Epiſtolis,* Cum pœnæ venia plura petenda dabit. *commodo ſenſu. niſi quod cauſam haud video, cur* petenda *pro* roganda *velit reponi. Heinſius. At* petenda *habet ed. Berſmanni aliaque.*

Si

Si numeres anno ſoles & nubila toto,
Invenies nitidum ſæpius iſſe diem.
Ergo, ne [1] noſtrâ nimium lætere ruinâ,
Reſtitui quondam me quoque poſſe puta:
Poſſe puta fieri, lenito Principe, vultus
Ut videas mediâ triſtis in Urbe meos:
Utque ego te videam cauſsâ graviore fugatum.
Hæc ſunt à primis proxima vota [2] meis.

---

[1] *Sic editio N. Heinſii. al.* nimium noſtra.
[2] mea eſt. *pri. Polit. quinque alii* mea. *Puto* mihi. *Heinſius.*

QUæ mihi de rapto tua venit epiſtola Celſo,
Protinus eſt lacrymis humida facta meis.
Quodque nefas [1] dictu, fieri [2] nec poſſe putavi,
Invitis oculis littera lecta tua eſt.
Nec quicquam ad noſtras pervênit acerbius aures,
Ut ſumus in Ponto; perveniatque precor.
Ante meos oculos tanquam præſentis imago
Hæret: & exſtinctum vivere fingit amor.
Sæpe refert animus luſus gravitate carentes:
Seria cum liquida ſæpe peracta fide.

---

[1] *Berſm. margo* dictu eſt fieri.
[2] *Membr. noſtræ* non.

Nulla

Nulla tamen ſubeunt mihi tempora denſiùs [1] illis;
Quæ vellem vitæ ſumma fuiſſe meæ:
Cum domus ingenti ſubito mea lapſa ruinâ
Concidit, in domini procubuitque caput.
Adfuit ille mihi, cum [2] pars me magna reliquit,
Maxime; Fortunæ nec fuit ipſe comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quam ſi frater in igne foret.
Hæſit in [3] amplexu, conſolatuſque jacentem eſt:
Cumque meis lacrymis miſcuit [4] uſque ſuas.
O quoties vitæ cuſtos inviſus amaræ
Continuit promtas in mea fata manus!
O quoties dixit, Placabilis ira Deorum eſt.
Vive, nec ignoſci tu tibi poſſe nega.
Vox tamen illa fuit celeberrima, Reſpice quantum
[5] Maximus Auxilium debeat eſſe tibi.
Maximus incumbet; quaque eſt pietate, rogabit,
Ne ſit ad extremum Cæſaris ira tenax.

---

[1] *Vulg.* iſtis. *deinde* Decidit, in d. *m. ſc. ap. Berſm.*

[2] me pars *ante ed. N. Heinſ. Sequenti;* ille comes. *Vulg. & Berſm. m. ſc.* non fuit ille.

[3] *Idem* amplexus.

[4] *Al.* ille. *& præcedente* jacentem: *pro* jacentem eſt.

[5] *Hic ordo legendi in membranis noſtris exhibetur; nec dubito quin ſentiatur ſtatim optimus. Vulgo,* Debeat auxilium Maximus eſſe tibi. *Heinſius uno è libro* auxilii. *malè: nam deus eſt* Auxilium, *in Ciſtellaria Plauti Prologus; ut & in Metamorph.* 4. Auxiliumque domus ſervatoremque fatentur. *Multa fuiſſe credo, aliaque aliis potentiora, omnia tamen minorum gentium. Noſtro certè Cæſar eſt quaſi Jupiter, Maximus quaſi Auxilium. de quo mortuo Pont.* 4. *El.* 6. Ipſum morte tuâ concidit Auxilium.

Cumque ſuis fratris vires adhibebit, & omnem,
Quo levius doleas, experietur opem.
Hæc mihi verba malæ minuerunt tædia vitæ:
Quæ [1] tu, ne fuerint, Maxime, vana, cave.
Huc quoque venturum mihi ſe jurare ſolebat;
Non niſi te longæ jus ſibi dante viæ.
Nam tua non alio coluit penetralia ritu,
Terrarum dominos quam colis ipſe Deos.
Crede mihi: multos habeas cum dignus amicos,
Non fuit è multis quolibet ille minor.
Si modo [2] nec cenſus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.
Jure igitur lacrymas Celſo libamus ademto;
Cum fugerem, [3] vivo quas dedit ille mihi.
Carmina jure damus raros teſtantia mores;
Ut tua venturi nomina, Celſe, legant.
Hoc eſt, quod poſſum Geticis tibi mittere ab arvis:
Hoc ſolum eſt iſtic, quod [4] licet eſſe meum.
Funera [5] non potui comitare, nec ungere corpus:
Aque tuis toto dividor orbe rogis.
Qui potuit, quem tu pro numine vivus habebas,
Præſtitit officium Maximus omne tibi.

---

[1] *Al.* modo. *al.* tunc

[2] *Vulg.* non. *& m. ſcr. ap. Berſm.* non clarum.

[3] *Noſtr. membr.* miſero. *cumque iis vulg.* ipſe mihi. *Quarto Berſm. marg.* Geticis poſſum.

[4] *Non video ſatis, cur in edit. ſuâ* liquet *N. Heinſ. legi juſſerit.*

[5] *Eadem edit.* nec. *Sequenti, al.* Atque. *unus* Namque. *Tertio* Quod potuit *vulg.*

Ille

Ille tibi exſequias, & magni funus honoris
Fecit; & in gelidos [1] verſit amoma ſinus.
Diluit & lacrymis mœrens unguenta profuſis;
Oſſaque vicinâ condita texit humo.
Qui quoniam exſtinctis, quæ debet, præſtat amicis,
Et nos exſtinctis annumerare poteſt.

---

[1] fudit amoma] vertit *meliores magno numero. Lege* verſit *aut* verxit. *quod eſt apud Diomedem. Gronovius* vergit *Obſervat. lib. 2. cap. 7. qui videatur. ſic Met 4. v. 506. ſcribendum monuimus ex ſententia doctiſſimi Grævii,* ——vergit furiale venenum Pectus in amborum. *ita utuntur plerumque in ſacris inferis hoc verbo ſcriptores. Male etiam multi ex ſcriptis* aroma. *Juvenal.* Et matutino ſudans Criſpinus amomo, Quantum non redolent duo funera. *Perſ. ſat. 3.* ——tandemque beatulus alto Compoſitus lecto craſſiſque lutatus amomis. *Noſter Triſt. 3. el. 3.* Oſſaque cum foliis & amomi pulvere miſce. *Heinſius.*

ACcipe colloquium gelido Naſonis ab Iſtro,
Attice, judicio non[1] dubitande meo.
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici?
Deſerit an partes languida cura ſuas?
Non ita[2] Dî triſtes mihi ſunt, ut credere poſſim,
Faſque putem jam te non meminiſſe mei.
[3] Ante meos oculos tua ſtat, tua ſemper imago eſt:
Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor:
[4] Nec data jucundis tempora pauca jocis.
Sæpe citæ longis viſæ ſermonibus horæ:
Sæpe fuit brevior, quam mea verba, dies.
Sæpe tuas venit factum modò carmen ad aures;
Et nova judicio ſubdita Muſa tuo eſt.
Quod tu[5] laudaras, populo placuiſſe putabam:
Hoc pretium curæ dulce recentis erat.

---

[1] *Vulg.* dubitate. *al.* dubitante. *ſeptem* dubitande. *An legi poteſt?* Attice, judicio non dubitande meo,
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici;
Deſerit an partes languida cura ſuas.

[2] *Sic ed. N. Heinſ. Al.* dî mihi ſunt triſtes *aut* teſtes.

[3] Ante meos oculos præſto eſt tua ſemper imago] præſens tua *quatuor libri. tres* viſa eſt. *alius* vera eſt. *Sarrav. mendoſe*, Ante oculos noſtros tua eſt tua ſemper imago. *Argentin.* Ante oculos noſtros tua ſtat tua ſemper imago. *Lege* tua ſtat, tua ſemper imago eſt. noſtros oculos *præterea plerique.* Eſſe *&* ſtare ante oculos *eleganter dictum. Vide Notas Triſt.* 3. *El.* 4 *v.* 57. *Met.* 11. Ante oculos ſtat & ille meos. *Heinſius.*

[4] Et data *noſtræ membr. & proximo* longe.

[5] *Al.* laudabas. *tum pro* recentis; monentis, moventis, regentis.

Utque

Utque meus limâ raſus liber eſſet [1] amicâ,
Non ſemel admonitu facta litura tuo eſt.
Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos [2] junctis curva theatra locis.
Denique tantus amor nobis, cariſſime, ſemper,
Quantus in [3] Æacide Actorideque fuit.

---

[1] amici] amice *quinque aut ſex veteres. in duobus ultimæ duæ literæ* τῆ amici *eraſæ. Scribe* limâ amicâ, *& adi Notas Triſt. lib.* 1. *El.* 8. *v.* 65. *Heinſius.*

[2] cunctis *excuſi præter Vicentin.* terna theatra *unus m. ſcr.*

[3] Æacide Actorideque] *Hic hiatus inſolens eſt Naſoni. Nec conſtant ſibi ſcripta exemplaria. Regius* Æacida Neſtorideque. *Polit. Argent. & ſeptem alii* Æacide Neſtorideque. *Antilochus certe Achilli familiaris & amicus fuit. quatuor alii cum Twiſdeniano* Æacide Teſtorideque. *ſed Calchas inter amicos Achillis nuſquam recenſetur. quanquam propter illum rixæ inter hunc & Agamemnonem exortæ. tres* Atride Tyndarideque. *duo* Atridis Tyndaridiſque. *ſed de fratrum pari noſter hic non agit. ſeptem* Æaciden Actoridenque. *Sarrav.* Æacidem Neſtorideque. *ſi quid mutandum, legam,* Æacidis Actoridiſque. *nam Achillis & Patrocli amicitia nobiliſſima. ſic* Hectoras *dixit epiſtola Laodamiæ. Heinſius. Interpretatio prædura, cum confirmatione ex alieniſſimo loco* [multos illic Hectoras eſſe puta] *captatâ; nec lectio tamen non certiſſima.* Actoridas *intellige modo, Menœtium & Patroclum;* Æacidas *autem, Pelea cum Achille. Nepotum quidem celebrata magis ſermonibus amicitia, quam tamen paternam Actoris Æacique filiorum exemplo commendatam excoluerunt. nam & horum ſatis eſt teſtata ſumma neceſſitudo conjunctioque. Nempe Menœtium Pindarus aliique filium Æginæ memorant, quam eandem Pelei patris matrem novimus. Hanc Sanguinis ſocietatem adfirmârunt duo Religioſa amicitiæ vincula; ſi quidem, uti Diodorus Sic. narrat, Pelea Menœtii pater cæde factâ profugum & Expiavit & Hoſpitio ad ſe benigniſſimè recepit. Inde Affinitatibus quoque connexi. nam Philomelam Peleus, atque*

Non ego, ſi biberes ſecuræ pocula Lethes,
Excidere hæc credam pectore poſſe tuo.
Longa dies [1] citior brumali ſidere, noxque
Tardior hibernâ ſolſtitialis [2] erit:
Nec Babylon [3] æſtum, nec frigora Pontus habebit;
Calthaque Pæſtanas vincet odore roſas:
Quam tibi noſtrarum veniant oblivia rerum.
Non ita pars fati candida nulla [4] mei.
Ne tamen hæc dici poſſit fiducia mendax,
Stultaque credulitas noſtra fuiſſe, cave;
Conſtantique fide veterem [5] tutare ſodalem
Qua licet, & quantum non oneroſus ero.

Eurydicen, Menœtii ſorores; is autem Pelei filiam Polymelen duxit. illa Ariſtophanis & Apollonii Scholiaſtæ, cum Homerico, è Staphyli Theſſalicis exſcripſerunt; hoc Apollodorus l. 3. c. 12. (ex emendatione Galei noſtratis) & Hyginus fab. 97, teſtati ſunt. Monendumque obiter, Hygini locum, etiam corruptum, emendationem Apollodori confirmare; ipſumque mutuis operis, ut conſulenti cernetur, ex Apollodoro ſanari. Cæterùm heroas poſthac nuſquam digreſſos, eandem uſque regiam, niſi per militiam Argonauticam, cujus uterque Socii, perpetuo habitâſſe Contubernio credibile eſt. Atque adeo Neſtor & Ulyſſes, apud Homer. Il. A. in Pelei domo eundem ad focum Æacidas Actoridaſque, Achillen & Patroclum cum ſenibus, offendunt ſacris communibus operatos. Unde, ſub eodem tecto accepti, filios ducunt miſſu patrum & exemplo futuros Troïcæ militiæ contubernales.

[1] *Al.* citius. *& Vulg.* brumali tempore.

[2] *Nonnulli* erat. *Puto*, ear. *ſic Met.* 1. —euntem Detinuit ſermone diem. *Heinſius.*

[3] æſtus] æſtum *ſcripti potiores. Idem. Adjice edit. Vicentinam.*

[4] mei eſt *Editiones ante N. Heinſii. librum indicâſſet.*

[5] tueare *vulg.*

Ecquid

ECquid ab impreſſæ cognoſcis imagine ceræ
Hæc tibi Naſonem ſcribere verba, Macer?
Auctoriſque ſui ſi non eſt annulus index,
Cognitáne eſt noſtrâ littera facta manu?
An tibi notitiam mora temporis eripit horum?
Nec repetunt oculi ſigna vetuſta tui?
Sis licet oblitus [1] pariter gemmæque manûſque,
Exciderit tantum ne tibi cura mei:
Quam tu vel longi debes convictibus ævi,
Vel mea quod conjux non aliena [2] tibi;
Vel ſtudiis, quibus es, quam nos, ſapientius uſus;
Utque decet, nullâ factus es Arte nocens.
Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſummâ [3] Troïca bella manu.
Naſo parum prudens, Artem dum [4] tradit amandi.
Doctrinæ pretium triſte magiſter habet.
Sunt tamen inter ſe communia ſacra poëtis;
Diverſum quamvis quiſque ſequamur iter.
Quorum te memorem (quamquam procul abſu-
Suſpicor; & caſus velle levare meos. [mus) eſſe
Te duce magnificas Aſiæ [5] perſpeximus urbes:
Trinacris eſt oculis te duce [6] nota meis.

---

[1] gemmæ pariterque manuſque *noſtræ membranæ vet. cum edit. Vicentinâ.*

[2] *Vulgus editionum* tibi eſt.

[3] Troïca bella] facta *duo veteres. Forte* Troïa fata. *ut*, Illi victa ſuis Troïa fata canunt. *Heinſius.*

[4] *Al.* tractat. *Quarto unus* petamus iter. *atque ſexto* Auſpicor, *pro* Suſpicor.

[5] *Leg. & perreximus. ac ſequenti* Trinacria.

[6] *Vulg.* viſa. *Unus tertio* movet ore.

Vidimus Ætnæâ cœlum ſplendeſcere flammâ;
Suppoſitus monti quam vomit ore gigas:
[1] Hennæoſque lacus, & [2] olentia ſtagna Palici,

---

[1] Ætnæoſque lacus & olentia ſtagna Palici] Hennæoſque *Sarrav. Argent. & unus Vatic. duo alii* Ennæoſque. *dictum de hac voce multis ad Raptum Proſerpinæ Claudiani. præterea ſcribendum* Palicos. *ut ſit appoſitio. vidimus Palicos ſtagna olentia.* Stagna Palicorum *dixit Met. 5. ſic apud Græcos ſemper* Λίμνη Παλίκων, *&* κρατῆρες Παλίκων. *etiam* Παλικίνη κρήνη. *nam duos fratres Deos Palicos fuiſſe conſtat. Virgilio tamen Æn. 9.* placabilis ara Palici. *ſed & illic quoque per appoſitionem ſumi poteſt. Poſſet & legi* olentia ſtagna Palicen. *ut oppidum* Παλικην *ſtagno vicinum innuat. Adi Siciliam accuratiſſimi Cluverii. Heinſius. Poſteriorem conjecturam infirmat & oppidum ante hæc tempora dirutum, uti monſtrat Diodorus, & locutio ipſa* [ſtagna Palicen *pro* ſtagnis ad urbem Palicen] *vix, credo, concoquenda. quâ quoque de cauſâ ne priorem quidem admittebam, dum advertiſſem* Palicos, *non* heroas *modo, ſed &* regionem *iſtam ubi templum eorum ac ſtagnum, nominari. Sic Ariſtot.* περὶ θαυμ. ἀκουσμ. *& exſcriptor ejus Stephanus Byz.* Ἔστι δὲ καὶ κρήνη τις ἐν Παλικοῖς τῆ Σικελίας, *&c. & Strabo l. 6.* Θερμῶν γὰρ ὑδάτων ἐκβολὰς καὶ πολλὰς ἐχει τόπους ἡ νῆσος· ὧν τὰ μὲν Σελινούντια καὶ Ἱμέραν ἀλμυρά ἐστι, τὰ δὲ Αἰγεσταῖα πόσιμα. περὶ Ἀκράγαντα δὲ λίμναι, τὴν μὲν γεῦσιν ἔχουσι θαλάττης, τὴν δὲ φύσιν διάφορον· ὑδὲ γὰρ τοῖς ἀκολύμβοις βαπτίζεσθαι συμβαίνει, ξύλων τρόπον ἐπιπολάζουσιν· οἱ Παλικοὶ δὲ κρατῆρας ἔχουσιν ἀναβάλλοντας ὕδωρ εἰς δολοειδὲς ἀναφύσημα, καὶ πάλιν εἰς τὸν αὐτὸν δεχομένους μυχόν. *ita verè emendavit Caſaubonus pro* οἱ Ἰταλικοί. *Sotion etiam ex Iſigoni Incredibilibus,* Κρήνη ἐν Παλικοῖς, ἥτις εἰς ὕψος ἀναῤῥίπτει τὸ ὕδωρ πηχέων ἓξ, *&c. Vibius denique,* Simetos, Siciliæ, vicinus Palicis. *Sed & Crateras ipſos in ſtagno, quod huc maximè facit,* Palicos *aliquando vocatos arguere videtur, corruptus licet, Heſychii locus.* Παλικοὶ, *&c.* οἱ νῦν τῆ Συρακουσίας εἰσὶ κρατῆρες, οἱ καλούμενοι παλικοὶ, *&c.*

[2] *Leg. &* olentis *ap. Ciofan.*

[1] Quam

[1] Quamque ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.
Nec procul hinc [2] Nymphe, quæ, dum fugit Elidis [3] amnem,
Tecta ſub æquoreâ nunc quoque [4] currit aquâ.
Hîc mihi labentis pars anni magna peracta eſt.
[5] Eheu, quam diſpar eſt locus ille Getis!
Et quota pars [6] hæc ſunt rerum, quas vidimus ambo,
Te mihi jucundas efficiente vias!
Seu rate cæruleas pictâ ſulcavimus undas;
Eſſeda nos agili ſive tulêre rotâ.
Sæpe brevis nobis vicibus via [7] menſa loquendi;
Pluraque, ſi numeres, verba fuêre gradu.
Sæpe dies ſermone minor fuit; inque [8] loquendum
Tarda per æſtivos defuit hora dies.
Eſt aliquid, caſus pariter timuiſſe marinos;
Junctaque ad æquoreos vota tuliſſe Deos:

---

[1] *Sic apud eundem inveni, & in membr. noſtris vet. & editione Vicent. cum marginibus Berſmanni. Vulgatum* Quaque *quod prætulerunt inconcinnum eſt.*

[2] Nymphen *ſcribe. præcedenti verſu* Anapis *quidam veteres. ſic & lib. 5. Met. & alibi variant. Græcis tamen* Ἀναπος *conſtanter dicitur. Heinſius.*

[3] *Alpheum.*

[4] *Unus* currit humo. *unus etiam* manat aqua. *Sequentem membranæ n. vet.* Hoc mihi pars anni labentis longa peracta eſt.

[5] *Al.* Heu quantum. *Al.* Heu heu quam. *Al.* Hei mihi quam. *Unus* Heu mihi.

[6] *Membr. veteres noſtræ* ſunt hæc. *alius liber* hæc eſt.

[7] *Invaſi ex M. S. Berſmanni aliis ignotum. qui* viſa loquendi eſt. *niſi quod editio Heinſii omittit* τὸ eſt.

[8] *Vulg.* loquendo.

[1] Eſt

[1] Est modo res egisse simul; modo rursus ab illis,
Quorum non pudeat, posse referre jocos.
Hæc tibi si subeant, [2] (absim licet) omnibus horis
Ante tuos oculos, ut modo visus, ero.
Ipse [3] quidem extremi positus sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior extat aquis;
Te tamen intueor, quo solo pectore possum:
Et tecum gelido sæpe sub axe loquor.
Hîc es, & ignoras: [4] & ades celeberrimus absens:
Inque Getas mediâ [5] missus ab Urbe venis.

---

[1] Et *al.* *Tertio* tibi cum subeant *duo*.

[2] hic sim licet omnibus annis] absens *nonnulli veteres*. absim *Junianus*. *recte*. *Sarrav.* ipsam *mendose*. *Argent.* licet hic sim. *malo præterea cum Rottendorph. & duobus aliis*, omnibus horis. *sic lib.* 3. *El.* 5. Te nisi momentis video pene omnibus absens. *Heinsius*.

[3] quidem certè cum sim] *sic Sarrav. cum vulgatis & ex scriptis multi. mendose haud dubie. Twisdenius* toto. *quinque* certo. *excerpta Scaligeri & duo ex nostris* extremi. *etiam bene. unus cum Arondeliano*, extremo. *quatuor* positus. *de quo vide Notas nostras supra, lib.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 79. *Idem. Unde etiam edidit*, extremi cum sim. *Sed omnino eradicandum τὸ* cum sim; *& sic habendum*: certe, *glossema τῦ* quidem, *occupavit locum* extremi; cum sim, *interpretamentum τῷ* positus *superadditum, pro illo ipso quasi facilioris sententiæ receptum est; aliis tamen alio modo turbantibus. Hæc mihi adeo pro certis sunt, ut conjecturam, si tamen ita vocanda, in textum ausus sim recipere.*

[4] *Vulg.* sed ades. *unus* sed abes.

[5] *Reposui* missus *temere extrusum, plurimi licet* visus: *Translatio est à curruum in Circensibus* missu; *atque adeo intelligendum, Ab urbe, tanquam à carceribus, celeritate incredibili medium spatium transvolans in Getas venis. Legitur etiam in aliquot MSS.* jussus, *sensu non incommodo; sed id*

Redde

Redde vicem : &, quoniam regio felicior iſta eſt,
[1]Illic me memori pectore ſemper habe.

---

quoque ab illis videtur fictum, qui vocem miſſus *non intellexerint. Sic factum itidem in illo loco Metamorph.* 5. Rurſuſque per aëra miſit Mopſopium juvenem ſacros agitare jugales; *ubi libris pleriſque irrepſerat* juſſit. *Legitur etiam* medios *pro* mediâ. *& verſu ſecundo* illa eſt, *in uno.*

[1] *Unde ſic, Heinſ. non oſtendit. quos vidi,* Iſtic.

VErba mihi deſunt eadem tam ſæpe roganti,
Jamque pudet vanas fine carere preces.
Tædia conſimili fieri de carmine vobis,
Quidque petam, cunctos edidiciſſe reor.
[1]Noſtra quid apportet jam noſtis epiſtola, quamvis
[2]Charta ſit à vinclis [3] non labefacta ſuis.
Ergo mutetur noſtri ſententia ſcripti,
Ne toties contra, quam rapit amnis, [4] eat.
Quod bene de vobis ſperavi, ignoſcite, amici:
Talia [5] peccandi jam mihi finis erit.
Nec gravis uxori dicar: quæ ſcilicet in me
Quam proba, tam timida eſt, experienſq; parum.

---

[1] Noſtraque quid portet *al. ſed verſu duriore, & ſententiâ per diſparium connexionem* [reor noſtiſque] *nihilo felicius concinnatâ.*

[2] Cera *unus aut alter.*

[3] *Unus* irreſoluta. *Proximo vulg.* ſcripti ſententia noſtri.

[4] *Debes membranis noſtris veteribus, pro* eam.

[5] *Lib. un.* ſperandi. [*deinde*, Ne gravis *vulgati, & paulo poſt* Hoc quoque, N.

Hæc

Hæc quoque, Naſo, feres: etenim pejora tuliſti.
Jam tibi ſentiri ſarcina nulla poteſt.
Ductus ab armento taurus[1] detrectat aratrum:
Subtrahit & duro colla novella jugo.
Nos, quibus aſſuevit fatum crudeliter uti,
Ad mala jam pridem non ſumus ulla rudes.
Venimus in Geticos fines; moriamur in illis:
Parcaque ad extremum, [2] quo mea cœpit, eat.
Spem[3] juvet amplecti; quæ non juvat irrita ſemper;
Et fieri cupias ſi qua, futura putes.
Proximus huic gradus eſt; bene deſperare ſalutem,
Seque ſemel[4] verâ ſcire perîſſe fide.
Curando[5] quædam fieri majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.
Mitius ille perit, ſubitâ qui mergitur undâ;
Quam ſua qui[6] tumidis brachia laſſat aquis.
Cur ego concepi Scythicis me poſſe carere
Finibus, & terrâ[7] proſperiore frui?

---

[1] *Sic plerique veteres, inquit Heinſ. al.* detrectet *&* Subtrahat. Ad Geticos *in quarto lib. unus*; *&* moriemur *duo.*

[2] *Al.* qua. *ſiquis malit.*

[3] *Heinſio pro conjectura fuit loco* τῶ juvat. *ſed video in editionibus Blavianâ & Berſmann. at Vicent. edit. verſu ſequenti* puras.

[4] *Unus* veſtra. *& Vulg.* ſciſſe.

[5] fieri quædam] *Quem textui dedimus ex membranis noſtr. vet. ordinem, explicatior eſt &* ἐμφάσει *convenientior.*

[6] *Vulgat.* liquidis. *& nonnull.* laſſet. *tum altero, pro* Scythicis, *eadem membr.* Geticis.

[7] proximiore *Thuaneus alter, qua voce uſus etiam Seneca Ep.* CIX. *Heinſius.*

Cur

[1]Cur aliquid de me ſperavi lenius unquam?
An Fortuna mihi ſic mea nota fuit?
[2]Torqueor en graviùs; repetitaque forma locorum
Exſilium [3]renovat triſte, recenſque facit.
Eſt tamen utilius, ſtudium [4]ceſſare meorum:
Quam, quas [5]admôrint, non valuiſſe preces.
Magna quidem res eſt, quam non audetis, amici:
Sed ſi quis peteret, qui dare vellet, erat.
Dummodo non [6]nobis [7]hoc Cæſaris ira negarit;
Fortiter Euxinis [8]immoriemur aquis.

---

[1] Aut *l. un.*

[2] heu gravius *tres veteres.* *Forte* Torqeuor hoc gravius. *vel* Torquet enim gravius. *Heinſius.*

[3] revocat *membranæ noſtræ veteres.*

[4] *Aliquot* ceſſaſſe. *Reddidi vulgatam, & ſuaviorem, & alioqui nihilo deteriorem.*

[5] *Membranæ eæd.* admôrunt. *Edit. Vicent.* admôrim.

[6] *Repoſitum pro* vobis. *Longe ſc. ſi quid video præſtat.* Dummodo nobis veſtri ſtudii ceſſatio, non ira Cæſaris hoc negaverit.

[7] hec *membr. noſtræ. &* negabit *aliquot. tum* Forſitan *unus.*

[8] immorietur *eædem membr. nec contemnendum.*

Quæ

QUæ tibi quærebam memorem teſtantia curam
Dona Tomitanus mittere poſſet ager.
Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro:
Sed te, cum donas, iſta juvare ſolent.
Nec tamen hæc loca ſunt ullo pretioſa metallo.
Hoſtis ab agricolâ vix ſinit [1] illa fodi.
Purpura ſæpe tuos fulgens prætexit amictus:
Sed non Sarmatico tingitur illa mari.
Vellera dura ferunt pecudes, & Palladis uti
Arte Tomitanæ non didicêre nurus.
Fœmina pro lanâ Cerealia [2] munera frangit;
Suppoſitóque gravem vertice portat aquam.
Non hîc pampineis amicitur vitibus ulmus:
Nulla premunt ramos pondere poma [3] ſuos.
Triſtia deformes pariunt abſinthia campi,
Terraque de fructu quam ſit amara docet.
Nil igitur totâ Ponti regione ſiniſtri,
Quod mea ſedulitas mittere poſſet, erat.
Clauſa tamen miſi Scythica tibi tela pharetrâ:
Hoſte, precor, fiant illa cruenta tuo.
[4] Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos.
Hæc viget in noſtris, Maxime, Muſa locis.
Quæ quanquam miſiſſe pudet, quia parva videntur;
Tu tamen hæc, quæſo, conſule miſſa boni.

---

[1] iſta *lib. unus. proximo* protexit *vulg.*

[2] numina, *& tertio* honeratur vitibus, *unus.*

[3] *Ed. Plantin. ſic. Alix* ſuo. *Sed & marg. Berſmann,* ſuos *lib. duo.*

[4] Hos calamos habet hæc, *nonnulli.*

Miſſus

Miſſus es Euxinas quoniam, Veſtalis, ad[1] undas,
Ut poſitis reddas jura ſub axe locis;
Aſpicis en, [2] Præſes, quali jaceamus in arvo:
Nec me teſtis eris falſa ſolere queri.
Accedet voci [3] noſtræ non irrita per te,
Alpinis juvenis regibus orte, fides.
Ipſe vides certè glacie concreſcere Pontum.
Ipſe vides rigido ſtantia vina gelu.
Ipſe vides, onerata ferox ut ducat [5] Iäzyx
Per medias Iſtri plauſtra bubulcus aquas.
Aſpicis & mitti ſub adunco toxica ferro,
[6] Et telum cauſſas mortis habere duas.
Atque utinam pars hæc tantum ſpectata fuiſſet,
Non etiam proprio cognita Marte tibi!

---

[1] *Vulg.* oras. *nec male. Unus tertio* Conſpicis.

[2] præſens] Præſes *codex Scaligeri, Feſchii, optim. Vatic. & Regius. bene. idem Vatican. Epiſtolam hanc inſcribit* Veſtali prop. *hoc eſt* pro Præſide. *Heinſius.*

[3] per te non irrita noſtræ.] *Sic emendatum voluit Fabricius, quòd iſte convenientior, inquit, verborum ordo. Reddidi tamen in Vicentina editione repertum. qui mihi ſtabilitate quadam & ſimplici gravitate fidem verbis præſtat & mirifice loco convenit.*

[4] *Unus* finibus. *mox, al.* gelido ſtantia.

[5] Iäzis] *Scribe* Iäzyx. ἰαζυξ, ἰάζυγος, *ut* ἰάπυξ, ἰάπυγος. Iäzygas *alibi vocat non uno loco noſter. certe Rottendorph.* Iazix. *præcedenti verſu pro* vina *Petri Servii codex* muſta. *Heinſius. Legitur autem* Yäxis *quoque, &* Iäcis, *&* Iäpyx, *&* Hyaſis

[6] *Al.* Ac telum. *unus* Et cauſas telum. *item mox,* Et non jam proprio. *Unus etiam, paulo inferiùs,* qui tibi primus honor.

Tenditis

Tenditis ad primum per denſa pericula pilum:
Contigit ex merito qui tibi nuper honos.
Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipſa tamen virtus ordine major erit.
Non negat hoc Iſter: cujus tua dextra quondam
Puniceam Getico ſanguine fecit aquam.
Non negat [1] Ægyſſos, quæ te ſubeunte recepta
Senſit [2] in ingenio nil opis eſſe loci.
[3] Nam dubium, poſitu melius defenſa manuve,
Urbs erat in ſummo nubibus æqua jugo.

---

[1] *Multi veteres* Ægiſſus. *Argent. & quidam alii* Ægiſtus. Ægiſos *Combianus.* Ægiros *unus Vaticanus. alius* Egitos. *alius* Ægirus. Caſpios Ægiſos *Sarravianus. ſic & lib.* IV. *Pont. El.* VI. *ubi bis meminit ejuſdem civitatis,* Non negat Ægypſos. *ubi* Ægiros *vetuſtiores. vel,* Ægyros. *quinque alii* Ægiſſos, *vel* Ægiſos. *Conſtantino Porph. Themat. lib.* II. *cap.* I. ἄγιωσος *eſt. Procopio lib.* IV. *de ædificiis Juſtiniani* ἄγισος. *In Itinerario Antonini & Imperii notitia* Ægyſſos *eſt. quanquam apud Antoninum codices quidam* Ægiſos, *&* Ægyſos. *Heinſius in lib.* I. *Pont. El.* VIII.

[1] Ægypſos] *Editio Vic.* egypſos. *MS. ap. Berſmann.* Egyros. *Membranæ noſtræ* hoc egiros. *ead. l.* 1. *el.* 8. egiſſus. *Quæ ſequuntur, ex Epit. Stephani, faciunt, ut ſuſpectam habeam Notitiæ lectionem, quam amplexus eſt Heinſius.* Ἀγνωσὸς, πόλις Θρᾴκης, *&c.* τὸ ἐθνικὸν, Ἀγνώσιος, *&c. Quem in locum iſta Berkelius,* Golſzius ex Gordiani nummo ΑΓΕΣΣΙΩΝ meminit. adeo ut hic ſcribendum videatur, τὸ ἐθνικὸν Ἀγέσσιος, & urbis nomen Ἀγεσσὸς, quod etiam Alphabetico ordini, quo epitomator utitur, non repugnat.

[2] ab ingenio *membranæ noſtræ.* nil opus *ed. Vic.* eſſe tui *denique MS. unus.*

[3] *Ab Heinſio pro* Nam dubium eſt. *nec teſtes dedit. Adjuvant membranæ eadem, quæ* An dubium poſitu.

[1] Sithonio

[1]Sithonio Regi ferus interceperat illam
Hoſtis, & ereptas victor habebat opes.
Donec [2]flumineâ devecta Vitellius undâ
[3]Intulit expoſito milite ſigna Getis.
At tibi, progenies alti fortiſſima [4]Donni,
Venit in adverſos impetus ire viros.
Nec mora; conſpicuus longè [5]fulgentibus armis,
Fortia ne poſſint facta latere, caves:
Ingentique gradu contra ferrumque locumque,
Saxaque brumali grandine plura, ſubis.
Nec te miſſa ſuper jaculorum turba moratur,
Nec quæ vipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in caſſide pennis:
Parſque ferè ſcuti vulnere nulla vacat.
Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus;
Sed minor eſt [6]acri laudis amore dolor.
Talis apud Trojam Danaïs pro navibus Ajax
Dicitur Hectoreas ſuſtinuiſſe faces.
Ut propius ventum eſt, admotaque dextera dextræ,
Reſque fero potuit cominus enſe geri;

---

[1] *Cotyi, credo.*

[2] *Danubio, ad quem ſita eſt Ægyſſos, ſeu Ageſſos.*

[3] Impulit *membr. noſtr.*

[4] *Ignotum hoc nomen.* Domni *Polit. & octo alii. ſex* Dom *tres* Dampni. *totidem* Danni. *Scribe* Dauni *cum uno Voſſian. ut ad Turni patrem Rutulorum regem reſpiciat. Ita Heinſius. At longe ab Alpibus Rutuli. Illic* Ideonni *regnum invenit Cluverius apud Strabonem lib. 4. Cottii regno proximum: ideoque in hoc loco legebat vel* Donni (*ut & antea legebatur*) *vel* Ideonni.

[5] *MS. un.* fortiſſimus: *& octavo* nulla caret.

[6] *Membr. n.* acte. *f.* altæ.

Dicere difficile eſt, quid Mars tuus egerit illic,
[1] Quotque neci dederis, quoſque, quibuſq; modis.
Enſe tuo factos calcabas victor acervos;
Impoſitoque Getes ſub pede multus erat.
Pugnat ad exemplum Primi minor ordine Pili:
Multaque fert miles vulnera, multa facit.
Sed tantum virtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegaſus ibat equos.
Vincitur Ægyſſos: teſtataque tempus in omne
Sunt tua, Veſtalis, carmine facta meo.

---

[1] *Eædem cum MS. Berſmanni* Quoſque n. d. quotque.

---

* * *

NEc tibi de Pario ſtatuam, Germanice, templum
Marmore. carpſit opes [1] illa ruina meas.
Templa domus [2] facient vobis urbeſque beatæ;
Naſo ſuis opibus, carmine, gratus erit.
Parva quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cum pro conceſſa verba ſalute damus.
Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde eſt;
Et finem pietas contigit illa ſuum.

---

[1] *MS. un.* iſta.

[2] *Editio N. Heinſ.* vobis faciant. *Quarto noſtr. membr.* Dum pro. *Sequenti eædem* quod potuit. *alius* quæ potuit: & dat munera.

Nec,

Nec, quæ de parvâ [1] Dîs pauper libat acerrâ,
Thura minus, grandi quam data lance, valent.
Agnaque tam lactens, quam gramine pasta Falisco
Victima, [2] Tarpeios inficit icta focos.
[3] Nec tamen officio vatum per carmina facto
Principibus res est gratior ulla viris.
Carmina vestrarum peragunt præconia laudum:
Neve sit [4] actorum fama caduca cavent.
Carmine fit vivax Virtus; expersque sepulcri,
Notitiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidemque Vetustas;
Nullaque res majus tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: scriptis Agamemnona nosti;
Et quisquis contra, vel simul arma tulit.
Quis Thebas septemque [5] duces sine carmine nosset,
Et quicquid post hæc, quicquid & ante fuit?
Dî quoque carminibus (si fas est dicere) fiunt:
Tantaque majestas ore canentis eget.
Sic Chaos, ex illâ naturæ mole prioris
Digestum, partes scimus habere suas:
Sic affectantes cœlestia regna [6] Gigantas

---

[1] *Sic Ed. Heinsii. Al.* pauper dîs libat. *Versu sequenti, pro* valent *lib. Vatic. ap. Ciofan.* juvant.

[2] *Tarpeii montis; i. e. aras in Capitolio.*

[3] Non *membranæ nostræ. & mox*, res est aptior, *cum multis.*

[4] *Leg. &* autori. *&* auctorum. *&* actoris.

[5] *Qui Thebas oppugnârunt.*

[6] Gigantes] *Scribe* Gigantas. *ut passim optimi codices apud nostrum. neque aliter apud Silium, Lucanum, & Statium vetustissima exemplaria. Vide Fast.* III. *v.* 439. *Heinsius.*

Ad Styga [1] nimbifero vindicis igne datos.
Sic [2] victor laudem ſuperatis Liber ab Indis,
Alcides captâ traxit ab Oechalia.
Et modo, Cæſar, [3] Avum, quem virtus addidit aſtris,
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, noſtro
Reſtat [4] in ingenio, ſerviet omne tibi.
Non potes officium vatis contemnere vates:
Judicio pretium res habet iſta tuo.
Quod niſi te nomen tantum ad majora vocaſſet,
Gloria Piëridum ſumma futurus eras.
Sed dare materiam nobis, quam carmina, [5] mavis:
Nec tamen ex toto [6] deſerere illa potes.
Nam modo bella geris, numeris modo [7] bella coërces:
Quodque aliis opus eſt, hoc tibi [8] ludus erit.

---

[1] nubifero] nimbifero *Scaliger. prim. Medic. & quinque alii. rectius. Metam.* III. nimbos *fulmini quoque conjungit de Jove Semelen adituro*, —vultumque ſequentia traxit Nubila, quis nimbos, immiſtaque fulgura ventis Addidit, & tonitrus, & inevitabile fulmen. *Silius lib.* 1. —permixtaque nimbis Fulmina. *Idem.*

[2] laudem victor *unus.*

[3] *Auguſtum.*

[4] ab ingenio ſerviat *membr. noſtr. & quinto*, magna futurus.

[5] majus *Merul. & MS. Berſmanni. Sed inter has voces in multis diſcerni non poteſt.*

[6] deſinere *Hafnienſis. Adi Notas Art. Am. lib* II. *ſub finem. Heinſius.*

[7] verba *plerique veteres. & recte. Idem. Reſtitui tamen, quod mihi præſtantius atque vividius.*

[8] *Vulgo* luſus. *Legitur &* erat.

Utq

Utq; nec ad citharam, nec ad arcum ſegnis [1] Apollo,
Sed venit ad ſacras nervus uterque manus;
Sic tibi nec docti, nec deſunt principis artes:
Miſta ſed eſt animo cum Jove Muſa tuo.
Quæ quoniam nec nos undâ ſubmovit ab illâ,
Ungula [2] Gorgonei quam cava fecit equi;
Proſit, opemque ferat communia ſacra tueri,
Atque îſdem ſtudiis impoſuiſſe manum:
Littora pellitis nimium ſubjecta Corallis
Ut tandem ſævos effugiamque Getas;
Clauſaque ſi miſero patria eſt, ut ponar in [3] ullo,
Qui minus Auſonia [4] diſtet ab urbe, loco.
Unde tuas poſſim laudes celebrare recentes,
Magnaque quàm minimâ facta referre morâ.

---

[1] *Al.* Apollo eſt. *& tertio* docti deſunt, nec.
[2] *Pegaſi, ſanguine Meduſæ Gorgonis nati.*
[3] *N. Heinſ. ed. pro* illo. *non ſine aliquo libro, credo.*
[4] *Al.* diſtat. *Ultimo legitur etiam* cum minima. *& Fabricius ex antiquis libris adduxit* per minimam moram.

EX

TIBULLO.

DIvitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera[1] multa soli:
Quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum[2] meus[3] exiguo luceat igne focus.
[4]Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, & facili grandia poma manu.
[5]Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.

[1] *Alii* magna; *pro quo credo sane* multa *correctorum esse. illud certè pro* multa *non potuit. Deinde, (si tamen absque ullo librorum indicio quasi in tenebris conjicere licet) scriptum à Tibullo* lata, *eoque* magna, *ab homine imperito glossema, mutatum crediderim.* Lata *autem interpretarer* latè obtinentia, *ut latifundiorum à Triumvirali perticâ dominos notaverit.*

[2] *Istud* meus *mihi videtur vix ferendum. quid si legamus* vetus?

[3] *Hoc legi malebam pro* assiduo; *cùm libri vet. habeant, &* assiduus *paulo ante præcesserit.*

[4] *Alius, inquit, multa jugera tenens, nulla colens, labore militari, pro rustico, exerceatur; Ego verò meum ipse rus colam.*

[5] *Spem tamen apprecatur, ut & vitium sationi musta, & cæteræ sationi frugum acervi respondeant.*

[1]Nam veneror, seu [2] stipes habet [3] desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis:
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum [4] agricolam ponitur ante Deum.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat [5] ut sæva falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos:
Nunc agna exigui est hostia [6] magna soli.
Agna cadet vobis: quam circum rustica pubes
Clamet: io messes, & bona vina date.

---

[1] *Atque hanc ideo spem amplectitur, quòd suæ sibi pietatis erga arvorum hortorumque numina sit conscius. Annon hæc omnia cohærent satis bene? Ego sanè nihil confusum nimis aut perturbatum video; neque tuam adeò, Scaliger, medicinam expeto. Reponenda sunt profectò, quæ tu transposuisti, libris omnibus (ut fateris, seu gloriaris potius) invitis, rebusque non cogentibus.*

[2] *Terminus deus.*

[3] *Lib. unus* desectus. *& in sequenti ex duobus est* florea *pro* florida.

[4] agricolæ ponitur ante deo.] *Hæc videtur esse conjectura Mureti & Ach. Statii; bona fortasse; neque ea tamen cui textus occupari debuerit. Nihilo certe inferior est quam vides, non sine libris, immigrâsse. Legitur autem &* agricolæ deum, *&* deos; *&* agricolas deos.

[5] *Vet. liber* &.

[6] *Al.* parva. *& tertio* Clamat.

[1] Jam

[1] Jam modò non poſſum contentus vivere parvo,
Nec ſemper longæ deditus eſſe viæ:
Sed Canis æſtivos ortus vitare ſub umbrâ
Arboris, ad rivos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum [2] pudeat tenuiſſe [3] bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.
Non agnamve ſinu [2] pigeat fœtumve capellæ
Deſertum oblitâ matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furéſque, lupíque,
Parcite. De magno [4] præda petenda grege.
Hîc ego [5] paſtorémque meum luſtrare quotannis,
Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

---

[1] Modo non *ſignificat, inquiunt,* μονονχί· *id verò non huc facit. Locus videtur corruptus; nam Scaliger in ſuis Excerptis MSS. legit,* Quippe ego jam poſſum: *quæ lectio cum mihi ſe non omni ex parte probaret, tentabam* Jam modulo poſſum. *Potuit ſanè* modo *pro* modulo *ex margine in verſum irrepere, eique poſtea fulciendo particula* non *inſeri ab aliâ manu. Sed hæc diffidenter.*

[2] *Utrobique in vet. libris legitur* pudeat. *Si verò* pigeat *retinendum eſt, in priore loco iſtud mallem, &* pudeat *in poſteriore. Hæc autem eſt apta, ni fallor, orationis continuatio: Umbras quidem atque otia ſecuturus ſum; non tamen ut eâ ſim pigritia faſtidióve, ut omnes ſemper labores officiaque ruſtica defugiam, atque ità pigeat bidentem interdum tenuiſſe, &c. aut agnam hœdúmve domum reportare pudeat.*

[3] *Al.* bidentes.

[4] *Hîc delevi* eſt; *quod à quibuſdam veteribus abeſſe teſtatur Statius.*

[5] Paſtorumque deum *Paſſeratius, ſeu* Paſtoremque deum *voluit, Pana aut Apollinem (paſtorem ab Amphryſo) interpretatus. Poſterior lectio placet: certè veriſimilis eſt. Neque mihi videtur indigere defenſionis contra cujuſdam obtrectationes.*

[1] Adſitis

[1] Adſitis divi, [2] nec vos è paupere menſa
Dona, nec è puris ſpernite fictilibus.

---

[1] *Vocat Apollinem & Palem. Nunc ſc. ad deos paſtorales venit flexu eleganti & ſuo : deos verò agricolas antea veneratus fuerat. Nonne & hæc cohærent ? At fictilia, inquis, ſunt Larium patellæ, ideoque ad Lares ſermo eſt, atque diſtichon hoc migrare jubendum. At neceſſitate nullâ. Quidni enim & fictilia, & è menſa dona, in divûm quoque νομίων cultu locum habeant ?*

[2] *Multi* neu vos. *&* de paupere. *Unus ſequenti* è parvis ſpernite.

QUam bene Saturno vivebant rege prius, quam
Tellus in longas eſt patefacta vias !
Nondum cæruleas pinus contempſerat undas,
Effuſum ventis præbueratque ſinum :
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Preſſerat externa navita merce ratem.
Illo non validus ſubiit juga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus :
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipſæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella ; nec [1] enſem
Immiti ſævus duxerat arte faber.
Nunc Jove ſub domino cædes, & vulnera ſemper :
Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.

---

[1] *Al.* enſes. *in tertio aliquot* nunc vulnera.

Scelerata

---SCelerata jacet ſedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra ſonant.
Tiſiphoneque [1] impexa feros pro crinibus angues
Sævit, & huc illuc impia turba fugit.
[2] Hîc niger in porta ſerpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores:
Illic Junonem tentare Ixionis auſi
Verſantur celeri noxia membra rota.
Porrectuſque novem Tityus per jugera terræ
Adſiduas atro viſcere paſcit aves.
Tantalus eſt illic & circum ſtagna. ſed acrem
Jam jam poturi deſerit unda ſitim.
Et Danai proles, Veneris quæ numina læſit,
In cava Lethæas dolia portat aquas.

---

[1] implexa *Statii conjectura.*

[2] *Sic vetus ejuſdem liber. Vulg.* Tum niger. *Editio Brixiæ facta anno* 1486, Nunc niger. *Porro, quòd aliquando pro* in porta *lectum eſt* in turba, *audacter contemnendum, cum reſpicienti tam facile cernatur, unde loci huc aberraverit. At longe pluris, & invita textu cedere, videtur Scaligeri conjectura;* Tum niger in porta Serpens, tum Cerberus ore Stridet.

PRimus aratra manu ſollerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora [1] triſtitiæ diſſolüenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura [2] compede pulſa ſonent.
Non tibi ſunt triſtes curæ, [3] non luctus, Oſiri;
Sed chorus, & cantus [4] lenis, & aptus amor,

---

[1] *Adducitur è Colotii libro* lætitia; *neque alterum credo indicare voluiſſe Paſſeratium; atque lapſam N. Heinſio memoriam, qui* lætitiæ *indidem adduxerit. Iſta autem fuit Mureti conjectura; ſatis tamen, uti credo, per illam lectionem ſtabilita. Et* Lætitiæ *videri poteſt ab illis immutatum, qui deam illam Baccho comitem & adminiſtram à poëta dari non intelligerent.*

[2] *Al.* cuſpide. *Et nonnull.* preſſa. *Sed τὸ* cuſpide *Scaliger natum docet ex vitioſa ſcribendi conſuetudine,* cumpide. *Cumpis, cumpidis.* Multa *idem è ſuo libro, pro* pulſa, *adductum, verum* ere *didit.*

[3] *In veteribus* nec luctus, *quo modo olim Aldus. Sed pro* luctus, *in Sforti libro,* vultus, *legebatur.* &c. *A. Statius.*

[4] & levis aptus amor] *Sic in omnibus, quos vidi, libris. Alii legunt,* lenis, & aptus amor. *Aldus olim edidit,* levis, & aptus amor. *quo modo in Florentino.* &c. *Idem. Sic & editio Brixiana. Et ex iſto librariorum & typographorum errore,* levis, *pro* lenis,

Sed

Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriæ veſtes, & [1] dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.

exarantium, patet correctionem & levis *fulciendo nimirum verſui profectam. At quàm proba ſunt* cantus lenis, *&* amor aptus! *Multos, arbitror, me certè, decepit interpretatio Paſſeratii, (quam & aliorum, qui correctionem illam malefidam probarunt, eandem fuiſſe neceſſe eſt)* Non curæ, non luctus tibi aptus, ſed *&c.*

[1] *Conjecit Fruterius* dulci.

QUis fuit, horrendos primus qui protulit enſes?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit!
Tum cædes hominum generi, tum prœlia nata,
Tum brevior [1] diræ mortis aperta via eſt.
[2] An nihil ille miſer meruit; nos ad mala noſtra
Vertimus, in ſævas quod dedit ille feras?
Divitis hoc vitium eſt auri. nec bella fuerunt,
Faginus aſtabat [2] quum ſcyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat; ſomnumque petebat
Securus [3] varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret: vulgi nec triſtia noſſem
Arma, nec audiſſem corde micante tubam.

[1] duræ *unus. & in ſuperioribus vulg.* Tunc.

[2] At nihil ille miſer meruit: nos ad mala noſtra Vertimus, in ſævas quod dedit ille feras. *Non potui pro iſtis non ità textum, ut dedi, dare, lectis in Gryphii margine hiſce voculis,* An meruit? *Oſtendit variatum & Scaligeri Eclogaria, unde præferebat ille* Forſan & ille nihil meruit.

[2] *Marg. ead.* dum.

[3] *Iſtud* varias *ſatis inconveniens eſt epitheton, &* varas, *quod ovium crura ſpectare potuit, probabilius videtur. Tertio lectum eſt etiam* tremente.

Nun

Nunc ad bella trahor, & jam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.

QUis furor est atram bellis [1] accersere Mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
Cerberus, & Stygiæ navita [2] pullus aquæ.
Illic [3] perscissisque genis, [4] ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis & prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primùm
Duxit [5] aratores sub juga curva boves.
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.

---

[1] *Legitur &* arcessere.

[2] puppis aquæ] *in V. C. Lipsii* pullus aquæ *lectitabatur. Dousa P. Sunt qui in veteri libro fuisse adfirment*, navita turpis. *A. Statius. Ego feci igitur, ut τὸ* pullus (*cujus alterum fuerat interpretamentum*) *suo ni fallor in loco lector offendat.*

[3] *Sic lib. unus. Vulg.* percussisque. *unde Dousæ ejusdem conjectura* pertusisque. *Bonam credo. docuit sc. amicus interpretari*, inanibus oculorum orbibus.

[4] *Unus* ruptoque: *item tertio* laudandus & est. *alii* laudandus & hic.

[5] *Reposui audacter, pro* araturos, *è V. C. Lipsii à Dousis commendatum. Reponendum autem credo &* panda, *pro* curva, *in uno item libro repertum.*

Pace

Pace bidens, vomerque [1] nitent. at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.

[1] *Ita pro* vigent *reſcripſi. Scaliger ſc. in excerptis ſuis invenit* nitet: *& magis facit ad ſequentia. Idem video & N. Heinſio in Ovid. Am. placuiſſe, iſto quoque adducto ex eodem loco,* Sarcula nunc curvuſque bidens & vomer aduncus Ruris opes niteant.

RUra cano, ruriſque Deos. his vita magiſtris
[1] Deſuevit querna pellere glande famem.
Illi compoſitis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire [2] domum.
Illi etiam tauros primi docuiſſe feruntur
Servitium, & plauſtro ſuppoſuiſſe rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc [3] conſita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores,
Miſtaque [4] ſecuro eſt ſobria lympha mero.
Rura ferunt meſſes, calidi cum ſideris æſtu
Deponit flavas annua Terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci ſedula melle favos.
Agricola adſiduo primum ſatiatus aratro
Cantavit certo ruſtica verba pede:
Et ſatur arenti primum eſt modulatus avena

[1] Deſtituit *in editiones Scaligeri unde venerit non cernitur; uti nec quarto, pro* primi, primum.
[2] *Unus aut alter* caſam.
[3] *Alix edit.* inſita *ex uno, ut videtur, libro.*
[4] *Non reformidanti aquam, ſuarum virium ſecuro.*

Carmen,

Carmen, ut ornatos [1] diceret ante Deos.
Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab [2] arte [3] choros:
Huic datus à pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus. [4] duxerat hircus oves.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & fœmineus labor eſt; hinc penſa coluſque,
Fuſus & appoſito pollice verſat opus.
Atque aliqua adſidue textrix operata [5] Minervam

---

[1] *A. Statius è duobus pro* duceret, *quod huic loco vix convenit.*

[2] *Recte. ita alibi.* Quem celer aſſueta verſat ab arte puer. *Ovidius lib.* 2. *Amor. Eleg.* 4. Et tenerum molli torquet ab arte latus. *Livineius. Legendum,* ab arce. *intelligit ἄϛυ Athenienſium. Primum chori in opido introducti. à quo ἀϛιχοὶ χοροὶ, qui Baccho fiebant.* &c. *Scaliger. Nonnihil adfirmat hanc conjecturam, quod hîc legebatur quoque olim* ab urbe. *Sed quid eſt* arx inexperta? *an pergendum emendare* inexpertos?

[3] *Tragicos.*

[4] auxerat] *in Sfortiæ libro,* auferat. Auxerat *autem, id eſt, ad oves, quas habebat, ea fiebat acceſſio. Sic Plaut. in Moſtellaria,* Augebis ruri numerum genus ferratile. *Ut idem ovile hircos, oveſque contineret. A. Statius. A Mureti conjectura legimus* duxerat. *quam tamen vindicavit & Scaliger, & probavit quidem loco iſto Pauſaniæ in Bœoticis; quem totum deſcripſi.* Τοῖς βασιλεῦσιν αὐτῶν [Λακεδαιμονίων] ἐς τὰς ἐξόδους πρόβατα ἔπεμπετο, θεοῖς τε εἶναι θυσίας, καὶ πρὸ τῶν ἀγώνων καλλιερεῖν. ταῖς δὲ πομπαῖς ἡγεμόνες τῆς πορείας ἦσαν αἶγες, κατοιάδας οἱ πομπεῖς ὀνομάζουσιν αὐτάς.

[5] *Quidam legit* Minervæ. *Ego* aſſiduæ Minervæ.

Cantat

Cantat, [1] & applauſo tela ſonat latere.
[2] Ipſe interque greges, interque armenta Cupido
[3] Natus, & indomitas [4] dicitur inter equas.
Illic indocto primum ſe exercuit arcu.
Hei mihi quam doctas nunc habet ille manus!

---

[1] & appulſo] *Eſſe aiunt in quibuſdam libris* & applauſo. *Sic* equorum plauſa colla *Verg. atque Ovidio dicuntur. Et* pedibus choreæ plauduntur. *&c. A. Statius. In libris impreſſis aliis*, a pulſo, *in aliis*, appulſo; *L. MS.* a plauſo. *Pal. ſecund. & Edit. Rhegina expreſſiſſime*, applauſo. *Proxime quidem acceſſit Scal. cum conjiciebat* appluſo, *pro* aploſo: *qui &* ſonant *legit, uti eſt in duobus Pall. MSS. Voſſius ex fide optimi libri ita concipiendum eſſe hunc locum affirmat.* Atque aliqua aſſidue textrix operata Minervam Cantat, & appulſo pectine lana ſonat. *Editor Cantabrigienſis. Voſſii librum facile tranſeo, & illos qui* ſonant *hallucinati ſunt, Scaligero tamen idem placuiſſe admiratus. Verum mihi ſentire videor* applauſo, *cum hac interpretatione:* Cantat, & cantanti telæ ſonus certis ſpatiis, ut latus ſibi textrix pulſat, editus, ſingulis nempe miſſi remiſſique radii vicibus, quaſi applaudit, tempora ſc. dat æqualiter diviſa; *ut noſtrates loquuntur*, keeps time.

[2] Ipſe quoque inter agros, *al.*

[3] Ipſe Amor, puer Dionæ, rure natus dicitur. *Pervigil. Veneris.*

[4] *Unus* ducitur.

Natalis Cerinthi.

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras.
Quisquis ades, linguâ, vir mulierque, fave.
Urantur pia thura focis; urantur odores,
Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.
Ipse suos [1] Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius [2] puro distillent tempora nardo;
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Annuat &, Cerinthe, tibi, quodcunque rogabis.
En age, quid cessas? [3] annuit ille; roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores.
Jam reor hoc ipsos [4] edidicisse Deos.
Nec tibi malueris, totum quæcunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove:
Nec tibi, gemmarum quicquid felicibus [5] Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota [6] cadunt. utinam [7] strepitantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor:

---

[1] *Duo* adsit Genius. *proximo* florea serta *aliquot editi.*

[2] *Leg. &* è puro. *& inferius,* Cherinthe *seu* Chærinthe, *&* Cherinte; *atque in tribus scriptis* Cornute.

[3] annuet *unus.*

[4] *Quod nempe omnibus ille semper precibus eos unicè rogabat.*

[5] undis] *Optimè corrigit Fruterius,* Indis: *cui concinit Holst. liber; quin & edit. antiquæ Brixiana & Veneta. Editor Cantabrigiensis.*

[6] *Eveniunt. Verbum est non minùs opportunum bono sensui, quam infausto; cui locus hîc nullus est.*

[7] *Unus* trepidantibus.

Vinctula

Vincula quæ maneant ſemper, dum tarda ſenectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Huc veniat natalis [2] avis, prolemque miniſtret.
Ludat & ante tuos turba novella pedes.

[1] Hic veniat *tres*. Hæc veniet *unus*, *cum impreſſo*.
[2] *i. e. vobis avis factis*. Natalem *autem hîc accipio, pro* Genio, *propter ſequentia*, prolemque miniſtret. *At editio Brixiæ facta*, floremque miniſtret. *unde ſic diſtinguere conabatur amicus quidam meus :* Huc veniat natalis avis. floremque miniſtret, Ludat & ante tuos turba novella pedes.

* * *

PAvit & Admeti tauros formoſus Apollo :
Nec cithara, intonſæ profueruntve comæ.
Nec potuit curas ſanare ſalubribus herbis.
Quicquid erat medicæ, vicerat, artis, Amor.
[1] Ipſe deus ſolitus ſtabulis expellere vaccas,
Et potum feſſas ducere fluminibus ;
Et miſcere novo docuiſſe coagula lacte,
Lacteus & miſtis obriguiſſe liquor.

[1] *Hoſce quatuor verſus ejecit hinc Scaliger cum ſolenni verborum contumelia. Poſtquam reddere auſus ſum, quicquid in libris variatum offendi, propono, ut cogitent & alii de emendatione. Editio Brix. ſic habet* Ipſe deus ſolitus ſtabulis expellere vaccas, Et potum paſtas ducere fluminibus : Et miſcere novo docuiſſe coagula lacte, Lacteus & mixtus obriguiſſe liquor. *Reſtat ut ſubjiciam, quæ inveni ab aliis è libris ſuis adnotata.* Ipſe deus] *Poſt hunc verſum deſideratur pentameter. nam illi, qui in variis libris leguntur,* In nemora, & paſtas inde referre domum : *aut,* Creditur ad

mulctram conſtituiſſe prius: *aut*, Et potum paſtas ducere fluminibus: *adulterini ſunt. hic poſtremus, qui trium minime ineptus eſt, in vetere quodam libro ſcriptus eſt ad marginem, cum hac additione*, Verſus Auriſpæ. *Muretus.* Stabulis expellere vaccas.] *In Sfortiæ libro, Vaticano, aliiſque*, depellere, *&c.* Et potum paſtas] *Sic Verg.* &c. *In ſcriptis vero omnibus*, feſſas, *non* paſtas. *Sed ſuperiori verſu in ſcriptis omnibus ſubditur ille alter*, Creditur ad mulctram conſtituiſſe prius. *Sed ponam his verſus eo, quo leguntur, ordine in ſcriptis libris. In Patavino poſt verſum*, Deus ſolitus, *ſequitur*, Et potum feſſas: *deinde*, Et miſcere: *poſt*, Lacteus & mixtus. *In uno meo*, Ipſe Deus *&c.* Creditur ad mulctram *&c.* Et miſcere *&c.* Et potum *&c. In altero meo*, Ipſe Deus, Creditur ad mulctram, Et potum, Et miſcere, Lacteus. *&c. A. Statius. In margine H. l. hoc ſcriptum exſtat*, Suppoſititius eſt, & apparet plures deſiderari verſus. *Quinque Pall. MSS. & Edit. Rheg. nec non reliquæ fere omnes Edit. hunc* [Et potum] *verſiculum agnoſcunt, niſi quod in nonnullis excuſis* paſtas *pro* feſſas *apparet. Pal textus & L. MS.* Creditur ad mulctram continuiſſe pecus. *Editor Cantabrigienſis.* Lacteus è miſtis obriguitque liquor. *Aurati conjectura. In priore diſticho nihil cerno quod cuiquam merito diſplicere poteſt; niſi ſi quis in τῷ* feſſas, *pro quo* paſtas *ſubſtituerunt, hæret. illud autem æſtu* feſſas *expono. Poſteriori ſane opus eſt emendatione vel Aurati, vel noſtra, vel utravis olim melìore. Sed, obſecro, è textu ejiciendum eſt continuo, ſiquid vitioſi cernitur, nec facile medicanti paret? Verba quidem, ſigillatim, electa videntur & rei convenientia, neque illo ſeculo vel tantillum indigna. Magis dices lecto Columellæ cap. 8. libri 4. Sic vero conatus ſum emendare,* — fluminibus.

Tunc miſcere novo didicere coagula lacte,
Lacteus & miſtis obriguiſſe liquor:

Tunc coagula, deo docente, didicerunt ſe novo lacte miſcere, didicit & lac antea liquidum ita miſtis nunquam non obrigeſcere. Neque credo nimis durum viris doctis viſum iri miſcere *pro* miſcere ſe.

Tunc

Tunc [1] fiſcella levi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.
[2] Ah quoties, illo vitulum geſtante per agros,
Dicitur occurrens erubuiſſe [3] ſoror!
[2] Ah quoties auſæ, caneret dum valle ſub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves!
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus:
Venit & à templis irrita turba domum.
Sæpe horrere ſacros doluit Latona capillos,
Quos admirata eſt ipſa noverca prius.
[4] Quiſquis inornatumque caput, crineſque ſolutos
Adſpiceret, Phœbi quæreret ille comam.
Delos ubi nunc, Phœbe, tua eſt? ubi Delphica Py-
Nempe Amor in parva te jubet eſſe caſa. (tho?

---

[1] *Palat. ſecund.* ciſtella. *hoc eſt, parva ciſta. Gloſſarium*, ciſtella γλωσσόκομον. *Ergo* ciſtella *eſſet modiolus, quo caſei formabantur. Tales ciſtellæ vocantur Luculli. Gloſſ.* γλωσσόκομοι Luculli. *Sed non hoc agit Tibullus.* Fiſcellam *Gloſſarium interpretatur* κάρταλλον, *melius Onomaſticum* τάλαρον. *Gebhardus. Dirimat hanc litem Columella loco laudato,* — conteſtim cum concrevit liquor in fiſcellas, aut in calathos, vel formas transferendus eſt.

[2] *In ſcriptis omnibus,* O quotiens. *A. Statius. At Valer. Fl. Argon.* 1. Ah quoties famulo notis ſoror obvia ſylvis Flevit, ubi Oſſææ captaret frigora quercûs, Perderet & pingui miſeros Bœbeïde crines!

[3] *Pro* ſoror, *ed. Brix.* caput. *& quinto,* è templis: *ut & Scaligerianæ.*

[4] Siquis *unus.*

PRæda feras acies [1] cinxit diſcordibus armis.
Hinc [2] furor, hinc cædes, [3] mors propiorque
Præda vago juſſit geminare pericula ponto, (venit.
[4] Bellica [5] quum dubiis roſtra dedit ratibus.
Prædator cupit immenſos [6] obſidere campos,
Ut multa innumera jugera paſcat ove.
[7] Cui lapis externus curæ eſt, urbiſque [8] tumultus
Portatur validis mille columna jugis:
Claudit & indomitum moles mare, lentus [9] ut intra
Negligat hibernas piſcis adeſſe minas.
[1] At tibi læta trahant Samiæ convivia teſtæ,
Fictaque Cumana lubrica [2] terra rota.

---

[1] *Unus* tinxit.

[2] *Ex eodem, Stat. teſte, Sfortiæ libro, & edit. Brix. recepi, pro* cruor.

[3] morſque propinqua, *Excerpta Scaligeri.*

[4] Quum tribuit dubiæ bellica roſtra rati. *Eadem.*

[5] tum *Edit. Brix.*

[6] obſiſtere *al. & ſequ.* multo innumeram jugere paſcat ovem.

[7] *Reſcribit Gebhardus ex Pall. ſecundo, ac ſexto, Commel. (uti etiam legitur in Edit. Rheg.)* Quid lapis externus curæ eſt? urbique tumultus Portatur validis mille columna jugis? *& verſu quarto poſt* minas *figit notam interrogationis. Editor Cantabrigienſis.*

[8] *Al.* tumultu. *&* multa columna.

[9] *Edit. Brix.* & intra.

[1] *Eclogaria membrana vetus habebat,* At mihi. *& fortaſſe melius. ut Horatius:* Me cichorea, leveſque malvæ Paſcunt. *Scaliger.*

[2] *Unus* teſta.

Vos

VOS tenet, Etruſcis manat quæ [1] fontibus unda,
Unda ſub æſtivum non adeunda Canem,
Nunc autem ſacris [2] Bajarum maxima lymphis,
Quum ſe purpureo vere remittit [3] hiems.
At mihi Perſephone nigram denunciat horam.
Immerito juveni parce nocere, Dea.
Non ego tentavi nulli temeranda [4] deorum
Audax [5] laudandæ ſacra docere Deæ.
Nec mea mortiferis infecit pocula ſuccis
Dextera, [6] nec cuiquam [7] trita venena dedit;
Nec nos [8] ſacrilegos templis admovimus ignes:
Nec cor ſollicitant facta nefanda meum.

---

[1] *Unus* montibus.

[2] *Omnes calidi fontes vocabantur Baiæ, à Baiis illis Campaniæ. Scaliger.*

[3] *Al.* humus. *& neſcio an uni Statii libro lectionem noſtram debeamus.*

[4] virorum *liber Scaligero laudatus, ſed à manu correctoris.*

[5] *Laudandæ deæ, τῆς ἐπαινῆς Περσεφονείας. Proſerpinæ & Cereris ſacra intelligit,* &c. *Scaliger.*

[6] nonunquam *unus.*

[7] *Olim vulgat.* certa. *Sfortiæ liber* tætra. *Dedimus loco convenientiſſimum in Gryphii marg. & Scaligeri fragmento repertum.*

[8] *Sic unus Statii. & in notis ad Edit. Brix. iſta lego,* & tamen amovimus legitur. Quidam textus habent admovimus ignes. *Al.* ſacrilegos ægros: *aut* ſacrilegis ægros: *unde prodigioſa magni viri correctio,* Nec nos ſacrilegi templis admovimus ergo. *qui & deridere potuit, ſi quis intelligere ſe poſtularet* ſacrilegos ignes, *mihi fateor adeo apertum, ut pigeat interpretari.*

Nec nos insanæ meditantes jurgia [1] linguæ
Impia in adversus solvimus ora deos.
Et nondum cani nigros lædere capillos,
Nec venit tardo curva Senecta pede.
Natalem primo [2] nostrum videre parentes
Quum cecidit fato [3] consul uterque pari.
Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes [4] umbras quicunque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethæamque ratem, Cimmerioque lacus,
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequicquam [5] terrear æstu:
Languent ter quinos sed mea membra dies.
[6] At vobis Tuscæ celebrantur numina lymphæ,
Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, [7] memores & vivite nostri:
Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mista mero.

---

[1] *Tres quatuorve* mentis; *unde Lipsius emendabat* insana mente.
[2] *Lib. unus* nostri. *Quarto* lædere poma *item unus.*
[3] *Pansa & Hirtius.*
[4] *Al.* undas.
[5] *Unus* terrear. *unus etiam cum edito* terreat.
[6] *Sic vetus Mureti liber. Alii* Atque nobis: At nobis: Et nobis. *Editio Brix. aliæque* Atque mihi. *Sed & initio hujus Elegiæ lectum olim,* Nos tenet, *& nescio an conjectura sola mutatum. Monendum etiam haberi in editionis Gryph. margine* munera *pro* numina, *&* lympha *pro* lymphæ.
[7] *Vetus liber* memores sed. *ac sequenti alius* fuisse volent.

Ex

EX
PROPERTIO.

Gallus, (Propertii propinquus,) qui bello Perusino in fugâ periit, commilitoni fugienti moribundus dat mandata.

TU, qui consortem properas evadere casum,
Miles ab [1] Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te [2] servato possint gaudere parentes;
Hæc soror [3] acta tuis sentiat è lacrymis:
Gallum per medios [4] ereptum Cæsaris enses
Effugere ignotas non potuisse manûs:
[5] Et quæcunque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, hæc sciat esse mea.

[1] *Perusinis.* Κατ' ἐμφασιν *dictum est: maximi enim, in obsidione Perusiæ, & L. Antonii & Cæsaris erant opere militari aggeres.*

[2] *Al.* servato ut; *unde conjecit quidam* servatom.

[3] *Scaliger fecit* Acca.

[4] *Videtur cum paucis per munitiones stationesque Cæsarianas noctu elapsus, idque non absque pugna; deinde in latrones incidisse, qui vulneratum seminecemque reliquerint.*

[5] *Ita Ed. Brix. & Scaligeri liber. ante quem legebant* Et quicunque. *At Passeratius aliter ait legi,* Ut quæcunque.

Qualis

QUalis, & unde genus, qui ſint mihi, Tulle, pe-
Quæris pro noſtra ſemper amicitia: (nates,
Si Peruſina tibi [1] patriæ ſunt nota [2] ſepultæ
Italiæ duris funera temporibus,
Quum Romana ſuos egit diſcordia cives;
(Sis mihi præcipue pulvis Etruſca dolor:
Tu projecta mei perpeſſa es membra [3] propinqui,
Tu nullo miſeri contegis oſſa ſolo:)
[4] Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

---

[1] *Tuæ.*

[2] *Deberi credideram Scaligeri conjecturæ, pro* ſepulcra. *Et mox* Sis *pro* Sit. *Sed illud audio veterem Memmii librum affirmare; huic autem conſentit, niſi me fefellerunt inter conferendum oculi, editio Brixiana.*

[3] *Galli.*

[4] *Umbria ſuppoſito ſuo campo contingens proxima Etruriæ loca. Mevaniæ campum ſignat, qui prope Peruſiam eſt.*

Quæris

QUæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
[1] Tota erat in speciem Pœnis digesta columnis:
[2] Inter quas Danai fœmina turba senis.
[3] Hic equidem Phœbo visus mihi pulcrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum [4] steterant armenta Myronis

---

[1] *Legebatur olim vulgo* Tantam erat in speciem, *seu* Tanta. *Rescripsit Scaliger è libro suo (cui & alter consentit)* Tota, *atque* species *ex conjectura pro* speciem; *quas interpretatur* ἰδέας, *seu picturas. Ego nescio an defendi possit vetus lectio, aut illa, quam Passeratius aliique ediderunt,* Tota erat in speciem; *Scaligeriana certè non potest. Videtur posse non nimis audacter emendari, cum Heinsio,* Tota erat in spatium. *Nesciebant, arbitror, correctores, qui credi possunt hæc inquinâsse,* spatium *sensu peculiari totam porticûs longitudinem ac ambulacrum significare. Sic autem, ità versum interpretatus fuero: Porticus illa non aliquot singularibus ex longinquo ac pretioso isto marmore columnis fulta erat distinctáque, sed continua earum serie toto, quàm longa est, spatio sumptuosa.*

[2] Inter aquas *duo. sed nihili esse accredo: ut &* nurus *è Scalig. libro pro* senis.

[3] *Distichon hoc mihi alienum videtur; neque enim præcessit, quò referri possit illud* hic. *itaque sub finem collocandum puto post ultimum distichon, hoc modo:* Deinde inter matrem deus ipse interque sororem Pythius in longâ carmina veste canit. Hic equidem Phœbo visus, *&c. Nam cùm primò de porticu templo adjunctâ, de Belidum imaginibus, de templi structurâ, de armento Myronis circum aram, hinc de aureo solis curru, de eburneis foribus, &c. dixisset; commode subjungit de ipsâ togati Apollinis statuâ,* &c. *Douza F.*

[4] *Ed. Brix.* steterantque.

Quatuo,

Quatuor [1] artificis vivida ſigna boves.
Tum medium [2] Clario ſurgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
[3] Auro Solis erat ſupra faſtigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos [4] Parnaſi vertice [5] Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipſe, interque ſororem
Pythius in longa carmina veſte ſonat.

*

---

[1] *Legendum* artifices, *h. e. artificioſe elaboratæ, ità ut vivere viderentur*, &c. *dicuntur autem hic* artifices boves, *ut Perſio* vultus artifex, *Sat.* 5. Et premitur ratione animus, vincique laborat, Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum. *Cornutus :* Artificem vult.] per artem factum, ſecundum intellectum ſimulacrorum, quæ ab artificibus finguntur. *Plinius, pulcro illo de luſciniis loco, L.* 10. *C.* 29. ex tantæ tamque artifices argutiæ à xv. diebus paulatim deſinunt, nec ut fatigatas poſſis dicere aut ſatiatas. *Quintilianus L.* 9. *C.*4. jam in certamine armorum,atque in omni palæſtra,quid ſatis recte cavetur ac petitur, cui non artifex motus & certi quidam pedes adſint ? *Editor Propertii Amſtelædamenſis.*

[2] *Conjectura Scal. pro* claro. *(intellige,* carius Clario marmore. *&c.) quam & in membran. Comelini invenit Gebhardus.*

[3] Auro ſolis erat.] *In noſtro,* Aurea ſolis erant. *Utramque lectionem agnoſcit Beroaldus. Scalig. Pro* Auro *Ed. Brix.* Et quo

[4] Parnaſſi] *noſtri,cum Groningano,* Parnaſi. *recte. nam quamvis Græce ſcribatur per* SS, *tamen ita nunquam Latini. videndus Pierius Valerianus ad Virgilii Eclogam* 10. *v.* 11. *atque unico tantum* Ş *ſemper ſcribitur in membraneo codice Virgilii ſic ſatis antiquo, quem adſervat Athenæi patrii non leve decus P. Francius. Edit. Propert. Amſt.*

[5] *Cum duce Brenno.*

* *Mutilam eſſe hanc elegiam, finemque illius deſiderari, cum diu ſuſpicatus eſſem, poſtea veterum librorum indicio deprehendi. ſunt, qui eam, quæ proxime ſequitur, cum hac continuent, unamque ex duabus faciant : quos valde errare arbitror. Muretus.*

Calli-

CAllimachi manes, & Coi ſacra Philetæ,
In veſtrum, quæſo, me ſinite ire [1] nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos
Itala per Graios [2] Orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen [3] tenuaſtis in antro,
Quóve pede ingreſſi, quamve bibiſtis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicunque moratur in armis.
Exactus tenui pumice verſus eat,
Quo me fama levat terra ſublimis, & à me
[4] Nata coronatis Muſa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
Scriptorumque meas turba ſecuta rotas.
Quid fruſtra miſſis in me certatis habenis?
Non datur ad Muſas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura [5] canent:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina noſtra via.
Mollia, Pegaſides, [6] veſtro date ſerta poetæ.
Non faciet capiti dura corona meo.

---

[1] *Optimè idem Editor interpretatur, de lucis qui addebantur virorum clarorum ſepulcris.*

[2] *Sacra poëtica. Verbum autem leviter huc detortum eſt à Bacchi ſacris; cùm & Poëtæ furant, & Bacchus Poëtarum ſit non uno nomine deus.*

[3] *Al.* tenuiſtis. *& ſeq.* quave aqua.

[4] Nota *lib. vetus.*

[5] *Unus* canant.

[6] *Al.* date veſtro. *Unus tertio* detraxerat.

At

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet Honos.
Omnia poſt obitum fingit majora Vetuſtas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulſas abiegno noſceret [1] arces?
Fluminaque [2] Hæmonio comminus iſſe viro?
Idæum Simoenta, Jovis cunabula parvi?
Hectora [3] per campos ter maculaſſe rotas?
[4] Deiphobumque, Helenumque, & [5] Pulydamanta
ſine armis?
Qualemcunque Parin vix ſua noſſet humus.
Exiguo ſermone fores nunc [6] Ilion, & tu,

---

[1] *Trojanas.*

[2] *Achilli, Phthiæ civi; quæ eſt urbs atque regio Theſſaliæ ſive Hæmoniæ.*

[3] *Quidam lib. pro* per, ter; *&c. Paſſerat.*

[4] *Noſter primus, cum Borrichiano,* Deiphobum Helenumque, *ſine conjunctione: uti & Veneta.* [*Brixianam addo.*] *deinde omnes pariter libri,* Polydamantes in armis, *cum editionibus primis. Edit. Prop. Amſt.*

[5] *In Editt.* Polydamantem, Polydamantes, Polydamantas in armis, *legitur. Palat. membr. & Commel.* Polydamanten in armis. *Priore vero Palat. deſunt hæc tria verba. alii libri, teſte Gebhardo,* Polydamanta ſub armis: *&c. Editor Cantabrigienſis.* Polydamanta ſine armis, *Scaligeri conjecturam, improbat Paſſeratius; &* Polydamanta ſub armis *è vet. lib. parili judicio, laudat. Pro ſua lectione optima monuerat Scaliger, Polydamanta nullis armis celebrem: lingua tantum non armis potentem ab Homero induci: addit ingenioſe Editor. Amſt. Deiphobum inermem obtruncatum, Helenum vaticinandi arte clarum; ideo recte omnes* ſine armis. *Porro feci* Pulydamantae Πολυδάμανθα, *cum eodem legeres, ut voluit N. Heinſius ad Ovid. Met.* 12. *v.* 547. *docuitque in Propertii codicibus nonnullis ſcriptis hoc loco* Pulydamantas *legi.*

[6] *Arx Trojana.*

Troja,

Troja, bis [1] Oetæi numine capta Dei.
Necnon ille tui caſus memorator Homerus
Poſteritate ſuum creſcere [2] ſenſit opus.
Meque inter ſeros laudabit Roma nepotes.
Illum poſt cineres auguror [3] ipſe diem.
Ne mea contemto lapis indicet oſſa ſepulcro
Proviſum eſt, [4] Lycio vota probante Deo.

---

[1] *In Oetâ uſti.*
[2] *Lib. unus* ſentit.
[3] eſſe diem] eſſe *capit Paſſeratius pro* fore, *ut ſit enallage temporum. ſed duo noſtri & alter Colbertinus, itemque Borrichianus, legunt* auguror ipſe; *quod & in duobus Palatinis Gebhardus invenerat. recte, ſi quid ſentio. Ego, conſcientia fretus meritorum, æternam nominis famam mihi ipſe auguror ac polliceor. &c. Ed. Pr. Amſt.*
[4] *Lib. unus* latio.

---Neque Pyramidum ſumptus ad ſidera ducti,
Nec Jovis Elei cœlum imitata domus;
Nec Mauſolei dives fortuna ſepulcri
Mortis ab extremâ conditione [1] vacat:
Aut illis flamma, aut imber ſubducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæſitum nomen ab ævo
Excidet. ingenio ſtat ſine morte decus.

---

[1] *Multi* vacant: *Tertioque pro* Annorum *tres* Armorum; *& Ed. Grævii Trajectina (unde, non audio)* tractu *pro* ictu.

Arma

ARma Deus Cæſar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere claſſe maris.
Magna [1]viri merces. parat ultima terra triumphos.
Tigris, & Euphrates ſub [2] tua jura fluent.
[3] Sera, ſed Auſoniis veniet provincia virgis.
Aſſueſcent Latio Partha tropæa Jovi.
Ite agite expertæ [4] bello date lintea proræ,
Et ſolitum [5] armigeri ducite munus equi.
Omina fauſta cano. [6] Craſſos, cladeſque piate:
Ite, & Romanæ conſulite hiſtoriæ.

---

[1] *Emendabat N. Heinſius* viæ. *nimis timidus ſum fortaſſe qui in textum non recipiam. Admonet me (magiſque interea ſe probat) gemellæ in Gratium emendationis,* Arma acuere virum, *pro* Arma acuere viam.

[2] *Iſtud* tua *non habet quo referatur. noli dubitare quin corruptum fuerit ex* ſua. *ejectis regibus, erunt ſui juris, & liberi,* &c. *hæ voces ſæpe fuerunt confuſæ in optimis ſcriptoribus,* &c. *Editor. Prop. Amſt.*

[3] Sera ſub *in marg. edit. Gryph. ex conjectura (credo) Canteri. Multis commendat Paſſeratius lectionem veterem, locis adductis ſane pariſſimis: multis etiam Jani Gulielmii emendationem, ut credit, Editor Amſt.* Seres & Auſoniis veniet; *expletam ſcilicet à Nic. Heinſio,* Seres & Auſoniis venient. *Utravis lectio mire blanditur. Reſtat tamen ſcrupulus, quàm bene, perdomitis jam Seribus, Parthicos triumphos polliceretur.*

[4] *Unus* date bello.

[5] *Corrigere me ſpero* armigeræ ducite munus aquæ. *Poſt victorias Siculas & ab Actio reportatas comperto ſatis æquorum obſequio, pro armigeris Cæſarianis famulantia munus ſuum, cum legionibus claſſem, ut ducant devehantque citat poëta.*

[6] Craſſos cladeſque piate.] clademque: claſſeſque: claſſes clademque: claſſes cladeſque: *libri ſinguli. Sed & (id quoque vix dignum cujus admoneare)* Omnia *legitur pro* Omina.

Mars

Mars pater, & ſacræ fatalia lumina Veſtæ,
Ante meos obitus ſit, precor, illa dies,
Qua videam ſpoliis [7] oneratos Cæſaris axes,
Ad vulgi plauſus ſæpe reſiſtere equos.

* * *

[7] *Muretus emendabat*, onerato Cæſaris axe ; *aſſenſi Scaliger & Lipſius : hiatum vitârunt ſcilicet. Qui tamen an ferri debeat, hîc quidem loci, adhuc incertus ſum.*

MÆcenas eques Etruſco de ſanguine regum,
Intra fortunam qui cupis eſſe tuam :
Quid me ſcribendi tam vaſtum mittis in æquor?
Non ſunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe eſt, quod nequeas, capiti committere pondus:
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta,
[1] Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.
Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna.
Exactis Calamis ſe mihi jactat equis.

[1] *Duo Regii, noſter ſecundus, Groninganus, libri Gebhardi :* Flamma nec ex æquo. *primus noſter :* Palma nec ex æquo clauditur ulla jugo. Flamma & clauditur *etiam in Borrichiano legitur. deinde Regii,* illa rogo : *Colbertini,* ulla rogo. *legendum cum Lipſio L. 3. Var. Lect. C. 17.* Fama nec ex æquo ducitur una jugo. *optime Lipſius : nam iſtud* una *erat in Paſſeratii libro. & crebro* illa *vel* ulla *ſcripſerunt librarii pro* una. *&c. dicit ergo poëta, Non eadem gloria ex eâdem arte quamlibet magnos artifices manet. Lyſippus ſtatuis hominis effingendis clarior eſt quàm Calamis : qui tamen ipſe meliore equos fecit quam Lyſippus. &c. Editor Propert. Amſtel.* Jugum *duorum eſt :* æquum jugum, *cum æquales veniunt ad ar-*

In Veneris tabula ſummam ſibi ponit Apelles.
Parrhaſius [1] priva vindicat arte locum.
Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ.
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus ſigno ſe Jupiter [2] ornat eburno.

---

juvenci: nec æquum, *cum inæquales.* Ex æquo jugo ducitur fama, *quando duabus ex rebus, duplici ex arte æque magna gloria provenit. Quod contingere quamlibet magno artifici negat Propertius, & rei eidem clariſſima exempla adducit.* Ulla *ſervant ſcripti Codices.* Nec ulla fama ducitur ex æquo jugo, *eſt, nec unquam fama par exiſtit ex geminata ſcientia. Lucanus:* nullus ſemel ore receptus Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces. *id eſt, nunquam. Nec recte etiam* jugum *trutinæ intelligit Scaliger.* &c. *Gronovius in Diatribe Statianâ p.* 193. *Gronovii* jugum artium *certè placet. Nequaquam contemnenda tamen Scaligeri interpretatio, neque Beroaldi fortaſſe, qui videtur credidiſſe æquatam in Circo curruum frontem tangi. Sed explicanda latius Scaligeri mens.* Si cui virtutes ea non ſint præſtantia & pondere, ut rivalem famæ quemvis pro leviori facile ſurſum trahat, ſed æquo & in neutram partem declinato jugo patiantur ἀνπίσαθμον; nullam is famam ad ſe deſcenſuram ſciat. *Verbum* duco *huic rei opportunum credo, cum tam bene reſpondeat Græco* ἀγειν. *Plutarchus in vita Demoſthenis:* ἰδὼν αὐτὴν ὁ Ἅρπαλος ἠδέντα βαρβαρικῇ κύλικι, καὶ καταμαιθάνοντα τὴν τε τιμὴν καὶ τὸ βάρος, ἐκέλευσε διαβαστάσαντα τὴν ὁλκὴν τοῦ χρυσίου σκέψασθαι. Θαυμάσαντος δὲ τοῦ Δημοσθένους τὸ βάρος, καὶ πυθομένου πόσον ἄγει, μειδιάσας ὁ Ἅρπαλος, ἄξει σοί φησιν εἴκοσι τάλαντα. *Caterùm editio quoque Brixiana,* flamma nec ex æquo ducitur illa rogo: *& aliquid etiamnum latere poteſt.*

[1] *Hîc cum legeretur* parvâ, *Scaliger* partâ *repoſuit nihilo melius: ſed idem tamen* privâ *conjecit, i. e.* ἰδιαζούσῃ. *quod, opinor, probaveris, ſi legas Plin. Nat. hiſt. lib.* 35. *cap.* 10. *de Parrhaſio.*

[2] *duo* armat.

Praxi-

Praxitelem [1] Paria vindicat urbe lapis.
[2] Eſt quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ;
[2] Eſt quibus in celeres gloria nata pedes:
Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis.
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.
At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi;
Cogor & exemplis te ſuperare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore ſecures,
Et liceat medio ponere jura foro;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Cæſar, & omni
Tempore tam faciles inſinuentur opes:
Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos ſubtrahis ipſe ſinus.
Crede mihi, magnos æquabunt iſta Camillos
Judicia, & venies tu quoque in ora virûm:
Cæſaris & famæ veſtigia juncta tenebis.
Mæcenatis erunt vera tropæa fides.
Non ego velifera tumidum mare fundo carina:

---

[1] proprius vindicat arte lapis.] *in octo libris ſcriptis, & editionibus primis, legitur,* propria vindicat urbe lapis. *quo modo & duo libri Gebhardi.* τὸ arte, *quod nullæ membranæ agnoſcunt, videtur Hier Avantii eſſe figmentum: nam primum comparuit in exemplaribus Aldinis. iſtud autem* propria *corruptum puto ex* Paria: *etenim* Parius *habere quoſdam codices teſtatur Beroaldus. Parium autem marmor* &c. *itaque ſcribendum opinor,* Praxitelem Paria vindicat urbe lapis. &c. *Editor Propert. Amſt.*

[2] *Al.* Sunt.

[1] Tuta ſub exiguo flumine noſtra mora eſt.
Non flebo in cineres arcem [2] ſediſſe [3] paternos
Cadmi, [4] nec ſemper prœlia clade pari:
Nec referam Scæas, & Pergama, Apollinis [5] arces,
Et Danaûm decimo vere rediſſe rates;
Mœnia quum Graio [6] Neptunia preſſit aratro
Victor Palladiæ ligneus [7] artis equus.

---

[1] Tota] *Mallem*, Tuta. *Supra in eandem ſententiam* Tranquillo tuta deſcendis flumine cymba. *Scaliger. Ex duobus deinde libris adductum recepi. Sed &*, pro mora eſt, *alii* ratis

[2] Sidiſſe *voluit Editor Prop. Amſt. Quantum tamen cerno, utrumvis probum eſſe poteſt.*

[3] *Cineres paternos mire dixit, pro cineribus quibus cauſſa pater fuit Oedipus. Notum propter imprecationes Oedipi filios mutuis ſe vulneribus confeciſſe. Scaliger. Sed ita intelligi poſſe vix credo. Sin dici poſſint* cineres paterni *pro cineribus quibus cauſa fuerit pater ſeu patres, de quibus tamen eorumve filiis nihil dictum; Sic libentius interpretor, Arcem Cadmi ſediſſe in cineres, Epigonorum manibus ſuccenſam, patrum ſuorum ultioni. qui ſub ipsâ Cadmia cæſi ſunt, & à Thebanis ſepulturâ prohibiti. Vid. Hypotheſin Phœniſſων Eurip. Hyginum, & Apollodorum.*

[4] *i. e. & Thebanos tandem apertè victos. nam priore bello Thebano, licet pulſi fuerint Argivi, tamen pari ferme clade res geſta eſt, ut ait Pauſanias; unde & illud, Cadmea victoria. Fruſtra Lipſius ſuſpicabatur emendandum* ſeptem; *fruſtra & Paſſeratii libri* fratrum.

[5] Artes *hîc, ſequenti* undecimo *Editoris Amſt. conjecturæ; quas quidem cum aliis nonnullis, impenſiùs, licet ſibi placitas, in textum ſuum admiſſas noluit.*

[6] *A Neptuno & Apolline condita.*

[7] *Idem ille Editor* arcis *corrigebat; & præclarè ſane commendat. Sed nihil opus correctione.*

Inter

Inter Callimachi ſat erit placuiſſe libellos,
Et ceciniſſe modis, [1] pure poëta, tuis.

* * *

Te duce vel Jovis arma canam, cœloque [2] minantem
Cœum, & Phlegræis Oromedonta jugis:
Celſaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordiar, & cæſo mœnia firma Remo,
Eductoſque pares ſylveſtri ex ubere reges:
Creſcet & ingenium ſub tua juſſa meum:
Proſequar & currûs utroque ab littore ovantes:
Parthorum aſtutæ tela remiſſa fugæ:
[3] Caſtraque Pelusî Romano ſubruta ferro,
Antonîque graves in ſua fata manûs.
[4] Mollis tu cœptæ fautor cape lora juventæ,
Dexteraque immiſſis da mihi ſigna rotis.

---

[1] *Omnes omnium libri ſcripti habent*, dure poëta; *etiam ii quibus Beroaldus uſus fuit, ac Scaliger. illius eſt τὸ* Coë, *quod vulgatas jam olim inſedit: hujus τὸ* pure. *ſed legendum* Dore, *mutato* u *in* o, *ut rectè atque eleganter obſervavit ingenioſiſſimus Petrus Scriverius Animadverſ. in librum Spectaculorum*, &c. *Idem. Ego quoque plauderem, ſi quis doceret, Qui ille fuit* Dorus *poëta. Mihi conjectanti placuit aliquantum* dive Phileta. *& ſuppetunt quibus probatum irem: ſed excluſit me Pudor.*

[2] *Unus* minacem. *bene.*

[3] Clauſtra *maluit Jan. Palmerius. Lipſius autem ad Tac. Ann. 2. c. 59. adduxit hunc verſum, quaſi ſic legiſſet, & paribus locis multum commendavit Idem Noſtri editor Amſt*

[4] *Eidem pulcherrimam emendationem*, Mollia, *adjicimus, cum juſta probatione; quæ videnda.*

----NUnc desertis cessant sacraria lucis.
Aurum omnes victa jam Pietate colunt.
[1] Auro pulsa fides, auro vænalia jura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice [2] diras
Gallica [3] Parnasi sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis [4] Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar; atque utinam patriæ sim vanus aru-
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis. (spex:
Certa loquor, sed nulla fides. neq; [5] enim Ilia quon-
Verax Pergameis [6] Phœbas habenda malis. (dam
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.

---

[1] *Huc irrepserat Ovidii distichon,* Aurea nunc vere sunt sæcula: plurimus auro Venit honos: auro conciliatur amor.

[2] *Sic multi. & præstantius videtur. Vulgatum tamen* duras nives *interpretari possumus, Grandinem & Nivem concretam, de quibus Justinus in hujus rei narratione.*

[3] *Alii* Parnasus; *deinde* sparsit in ora, *pro* in arma, *amplexus sum cum Editore Amstel. qui in uno libro reperit.*

[4] Polymnestoris *al.*

[5] *Abest τὸ* enim *ab uno. Sed dolet mihi virum doctissimum continuo credidisse, ejiciendum, neque aliter si retineamus interpretari posse quàm,* Nemo mihi credit, quia nemo credidit Cassandræ.

[6] *Passeratii conjecturæ debes; qui in vet. lib. invenit* Phœbus. *alii* Mænas. Phœbas *est Cassandra Phœbi sacerdos.*

Ille

Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti.
Experta est [7] veros irrita lingua Deos.

[7] seros *voluit Editor Amst.*

FRigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit [1] Isthmos aqua,

[1] *Absurda satis in hunc locum scripta sunt de Isthmis, à quibus longe sita est Cyzicos: Sed neque hæc verba ferunt, ut vulgari sensu Isthmos capiatur.* Isthmos Propontiacâ aquâ *mihi est, fretum illud quo dividitur à continente Cyzicus, pontibus tamen conjuncta. Sic ea voce usus est Æschylus in Prometheo vincto, v.* 728. Ἰσθμὸν δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις Κιμμερικὸν ἥξεις, ὃν θρασυσπλάγχνως σὲ χρὴ Λιπεῖν αὐλῶν' ἐκπερᾶν Μαιωτικόν· Ἔσται δ' ἀηδοῖς εἰσαεὶ λόγοις μέγας Τῆς σῆς πορείας, Βόσπορος δ' ἐπώνυμος Κεκλήσεται. *Scholia in voce,* Κιμμερικὸν, Τὸν Κιμμερικὸν Βόσπορόν φησιν, ὅς ὅτι πλήρωμα τῆ Μαιωτίδος λίμνης. *Alia Scholia,* Αὐλῶν'] τὸ στενὸν ὃ πρόσθεν Ἰσθμὸν ἐκάλει. *& paucis interpositis,* Κεκλήσεται] ἄπις ὁ Ἰσθμός. *Sed & Apollonii loca aliquot afferre audendum, repugnante licet, & contra nos interpretari conante, docto Scholiaste. Ille de hac ipsa Cyzico Argon. l.* 1. Ἔστι δέ τις αἰπεῖα Προποντίδος ἔνδοθι νῆσος, Τυλλὸν ἀπὸ Φρυγίης πολυλήϊος ἠπείροιο Εἰς ἅλα κεκλιμένη, ὅσσον τ' ἐπιμύξεται ἰθμὸς Χέρσῳ ἐπιπρηνὴς καλαισμένῳ· ἐν δέ οἱ ἀκταὶ Ἀμφίδυμοι κεῖνται δ' ὥστε ὕδατι Αἰσήποιο. *paulo post,* Οὐδέ τις αὐτὴν νῆσον ἐπφρασθέως ἐνόησεν Ἔμμεναι. *& mox,* αὐτὰς ἐς ἠὼ Λιξάντων ἀνέμων νῆσον λίπον εἰρεσίῃσιν. *In primis itaque versibus* Isthmon *alio sensu accipi posse, quam quo nos in Propertio sumus interpretati, eos cum sequentibus legenti, non fit verisimile. atque adeo labascit tandem in tertio loco Scholiastes:* Νῆσον ὄν, *inquit,* ἔοικε τῷ Κυζικὸν λέγειν ἐνταῦθα.

Dindymus, & ſacræ fabricata [1] juvenca Cybellæ,
Raptoriſque tulit qua via Ditis equos.
Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes,
[2] Nec deſiderio, Tulle, movere [3] meo:
Tu licet aſpicias cœlum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Perſea Phorcidos ora manu;
Geryonæ ſtabula, & luctantum in pulvere ſigna
Herculis Antæique, Heſperidumque choros:
Tuque tuo [4] Colchon propellas remige Phaſin,
[5] Peliacæque trabis totum iter ipſe legas,
Qua rudis Argoa natat inter [6] ſaxa columba
In faciem proræ pinus adacta novæ:

---

[1] *Omnino ſcripſerat Propertius* juvenca, *non* juventa *aut* inventa *ut Scaliger. In ſpecu nempe ſeu antro Lobrinæ ſeu Arcti montis ſacellum erat Matris deûm, in quo juvenca marmorea viſebatur, quam hîc deſignat Propertius. Iſtiuſmodi antrum Romæ expreſſum eſt in marmore quod extat in porticu Juſtinianea, in quo Attis ſeu Taurobolus juvencum mactans conſpicitur. Sed & alia complura ſuperſunt marmora in quibus hic Tauroboliorum ritus ſatis luculentè exprimitur. Iſ. Voſſius.*

[2] *Feci* Nec *pro* Et, *quod editiones quidem omnes, quas vidi, habent; Paſſeratius ſolummodo in Prælectionibus oſtendit ſe legere, ut nos. Nec aliter intelligi poſſe hunc locum opinor. His jam editis, docuerunt Editores Cant. & Amſt. in duobus ſaltem libris haberi* Nec.

[3] *quo ego tui teneor.*

[4] Colchum Phaſim *habent libri, ſcriptione Latina. Ed. Prop. Amſt.*

[5] *Navis factæ ex materiâ in Pelio monte cæsâ, i. e. Argûs.*

[6] *Symplegadas.*

[1] Et

[1] Et qua Gygæi viſenda eſt ora Cayſtri,
Et qua ſeptenas temperat [2] unda minas:
Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic poſuit quicquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ.
Famam, Roma, tuæ non pudet hiſtoriæ.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus. victrices temperat [3] illa manus.
Hîc, Anio [4] Tiburte fluis, Clitumnus ab Umbro

---

[1] *Scaliger* Et ſi quadrigæ *legi fecit, interpretatione planè abſurdâ: Lipſius* cygnei; *Iſ. Voſſius*, Et ſiqua Ortygii *primò, deinde* Et ſiqua Phrygii, *conjecerunt. Libri vero multi* Et ſi qua origæ, *&* orige, *&* origa, *&* origiæ *(quod & in tribus ex vetuſtiſſimis Editionibus;) unus* Ogygiæ, *unus item* Si quane olorigeri. *Maxime igitur probabilis eſt Lipſii conjectura, aut prima Iſaaci Voſſii: Sed omnium expeditiſſima eſt recepta lectio. Quis neſcit Gygen Lydiæ regem? At non tacendum, Editorem noſtri Amſtelædam. poſt lectionem Voſſii* [Ortygii] *doctè commendatam, oſtendere voluiſſe vulgatam ex Antonii Volſci conjectura natam. Sed Editio Volſci prodiit Anno* 1488; *& editio tamen Brixiana (quam virum doctiſſimum credo non vidiſſe) facta Ann.* 1486. *habet* Si qua ve gygei.

[2] *Nili.* minas *autem pro* vias *dedi in uno libro repertum.*

[3] ira manus] *id eſt, in victoria iræ temperamus. nos quamvis irati, poſtquam vicimus, manibus temperamus. Neque opus cum Lipſio & Paſſeratio* illa. *Gronovius ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 112. *Addubito. & interea retineo* illa, *nunc in uno libro reperiri doctus.*

[4] Hîc Anio, fluis à Tiburte tramite, Clitumnus ab Umbro tramite. *ne cui placeat, quod legitur quoque,* Tiburne.

Tramite,

630 Tramite, & æternum [1] Martius humor opus:
[2] Albanus lacus & ſociâ Nemorenſis ab undâ,

---

[1] *Monimentum aquæductûs nunquam interiturum. Dicuntur hæc in laudem Auguſti; qui ità de ſe in Breviario rerum à ſe geſtarum:* Aquam, quæ Marcia (*vulgo*, Maria) appellatur, duplicavi fonte novo in rivum ejus immiſſo. *Paſſeratius.* Primus eam in Urbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius, unus è regibus, *Plin. l.* 31. *c.* 3. *ubi de eâ plura. Poſtea Q. Marcius Rex* juſſus à Senatu aquarum, Appiæ, Anienis, Tepulæ, ductus reficere, novam (*ſic Idem l.* 36. *c.* 15. *priorum ſc. oblitus*) à nomine ſuo appellatam cuniculis per montes actis intra Prætoræ ſuæ tempus adduxit. Agrippa vero in Ædilitate ſua, adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit; præterea ſalientes centum quinque; caſtella centum triginta; complura etiam cultu magnifica: operibus iis ſigna trecenta ærea aut marmorea impoſuit; columnas ex marmore quadringentas: eaque omnia annuo ſpatio.

[2] Vetus ſcriptura: *Albanuſque lacus ſocii Nemorenſis ab unda.* Et recte. nam uterque lacus, Albanus & Nemorenſis ab iiſdem fontibus. *Sic Scaliger: & mox*, Juturnam rectè his adjungit, cujus ſcaturigines cum aliis fontibus communes ſunt lacubus Albano, & Nemorenſi. Strabo: Τὰς μὲν ἂν πηγὰς ὁρᾷν ὄζιν ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τόπον δ' ἔστιν ἱερὸν καλούμενον, ἀλσώδη τινὰ ἐπώνυμον. Lege Ἰτέρνα καλουμένη. Sic vocat Juturnam. *Sed Propertius, ſi ſcripſit ita; non iſto tamen ſenſu: atque adeo videtur Scal. falſæ lectioni falſas cauſas affinxiſſe. Albanus & Nemorenſis ab iiſdem fontibus eſſe non poſſunt, neque Juturna eſt utriuſvis ſcaturigo. Strabo eodem loco (libr.* 5.) *unde ſua adduxit Scaliger, ait Nemorenſem in cavo eſſe & profundo loco continenti montium ſupercilio incluſum undique; Albanum verò eſſe in Albano monte, Nemore ejúſque montibus altis arduiſque licet, longè ſublimiore. Certè lacûs hocce ſitu non poſſunt ab iiſdem fontibus impleri, niſi flumina in montes ſcanderint. Sed neque Juturna prope Nemus quærenda, ut docuit ſatis Cluverius; nec iſto modo corrigendus Strabo, licet aſſentiatur Caſaubonus, contra ſui, ut*

Potaque

Potaque pollucis [1] lympha ſalubris equo.
At non ſquamoſo labuntur ventre ceraſtæ,
Itala portentis nec [2] furit [3] unda novis:
Non hic Andromedæ reſonant pro matre catenæ,
Nec tremis Auſonias, Phœbe fugate, dapes:
Nec [4] cuiquam abſentes arſerunt in caput ignes,
Exitium nato matre [5] movente ſuo.
Penthea non ſævæ venantur in arbore Bacchæ,
[6] Nec ſolvit Danaas [7] ſubdita cerva rates:
Cornua [6] nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove;

---

videtur, animi ſententiam, reverentiâ ſc. Scaligeri permotus. Idem Cluverius rectè emendavit, pro Ἰεγείᾳ *repoſito* Ἡγείᾳ. *qui de tota hac re adeundus eſt. Olim legebatur* Albanus lacus & ſocii Nemorenſis ab undâ. *Sed cùm Paſſeratius teſtaretur legi etiam* ſociâ, *illud prætuli, & cum illo interpretor vicinâ. Etiam ſuſpicor legi debere* in undâ *pro* ab unda, *quod librarius ex clauſula penultimi verſûs* (ab Umbro) *huc potuit traxiſſe.*

[1] *Futurna fons, lacus, atque amnis, ubi Caſtor & Pollux ſuum equorumque ſudorem abluere viſi ſunt poſt auxilium Romanis præſtitum pugnâ ad Regillum lacum aut alibi. In ſecunda autem Scaligeri editione excuderunt* nympha, *non ex Varrone ab ipſo reſtitutum, ut properans credidit vir doctus. Nihil tale juſſit Scaliger, quantum cernitur; neque vero jubere debuit. Manavit tamen, aliquo caſu in iſtam Editionem ut videtur receptum, in Paſſeratianam, Trajectinam, Amſtelædamenſem, & multas, credo, alias.*

[2] fuit una] *omnes libri: unde Scaliger rectè* furit *formabat. quod tamen jam tum legebatur in editione Colinæi. &c. Edit. Prop. Amſt.*

[3] *Canteri conjectura,* fluit unda; *Et Fruterii,* furit unda. *Ut & Paſſeratius edidit, quaſi ſic in libris offendiſſet.*

[4] *Ut Meleagro.*

[5] *Sic multi. al.* parante. *Gebhard. conjiciebat* novante.

[6] Non *ſinguli.*

[7] *Pro Iphigenia.*

[1] Arbore-

[1] Arboreaſque cruces Sinis, & non hoſpita Grajis
Saxa, & curvatas in ſua fata trabes.
Hæc tibi, Tulle, parens; hæc eſt pulcherrima ſedes.
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, & venturæ conjugis [2] aptus amor.

---

[1] *Supple ex jam dictis*, non valuit curvare. *frustra enim Livineius quædam desiderari suspicabatur. Ceterum* Sinis *scribendum* &c. *quod adludunt omnes membranæ, in quibus* senis. *unus Borrich. habet* sinis. &c. *Editor Pr. Amst.* Arboreaſque truces ſævis & inhoſpita grais, *Editio Brix.*

[2] *Liber Scalig.* altus.

---

[1] QUid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe [2] Vertumni [3] ſigna paterna Dei.
Tuſcus ego, [4] Tuſcis orior; nec pœnitet inter

---

[1] *Altera lectio*, Qui mirare meas tot in uno corpore formas, Accipe &c. *inquit Passeratius.*

[2] *Libri omnes* Vertunni, *scriptura antiqua. cui favet, & frequentem in nominibus Deorum docet, insignis Lipsius L.* 1. *Saturn. C.* 2. *in Junii Columellæ exemplaribus priscis legitur* Vortumnus, *hoc versu*, Mercibus ut vernis dives Vortumnus abundet. &c. *Editor Propertii Amstel.*

[3] Ciſtellam iſtic ineſſe oportet caudeam in iſto vidulo, Ubi ſunt ſigna, quî parentes noſcere hæc poſſit ſuos, &c. *Plautus Rudent. Act.* 4. *Scen.* 4. *& inferius*, age, eamus, mea gnata, ad matrem tuam, Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere: Quæ te magis tractavit, magiſque ſigna pernovit tua. *Alludit ſcilicet, ut Passeratius vidit, ad γνωρίσματα Comicorum.*

[4] *Al.* & Tuſcis. *Al.* è Tuſcis.

Prœlia

Prœlia [1] Volſinos deſeruiſſe focos.
[2] Hæc me turba juvat, nec templo lætor eburno:
Romanum ſatis eſt poſſe videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat: & aiunt
Remorum auditos per vada pulſa ſonos.
At poſtquam ille ſuis [3] tantum conceſſit alumnis,
Vertumnus verſo dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum [4] præcepimus anni,
[5] Vertumni rurſus credidit eſſe ſacrum.

---

[1] Volſcinos] *ita vulgatæ*; *Borrichianus* Volſinos; *quum melius legeretur* Volſinios, *præeunte in commentariis Beroaldo. ſed noſtri libri, ac Groninganus, & Commelinianus Gebhardi, habent* Volſanos. *quod placuiſſe video magno Lipſio ad Tacit. L. 4. Annal. C. 65. alii* Volſcanos *agnoſcunt, alii* Volſcanios, *haud multum à vera lectione abludentes. in primis editionibus eſt* Volſanios, *leviter itidem deflexum. Antonius Volſcus legebat* Cluſinos, *neſcio quo auctore. &c. Editor. Pr. Amſt. Legi fateor in edit. quoque Brix.* uolſanos: *mihi tamen placere non poteſt, ut neque* Volſinios. *ſed retineo, quod antehac repoſui,* Volſinos; *cujus lectionis meminit etiam Paſſeratius; neque aliter olim legebat Annius Viterb. in ſuis ad hanc Elegiam commentariis: Ita & Florus; reſcribentibus ſanè* Volſinii *commentatoribus, ſed nullâ causâ. Porro idem gentile affert Cluverius ex Procopio & Martyrologiis: nec abludit analogia, ſaltem poetica: Arabia, Arabus; Phæacia, Phæacus; Volſinii, Volſinus.*

[2] *Ita libri duo. Al.* Nec. *Legiſſe tamen & Annium video,* Hæc me turba juvat, nec templo oblector eburno: Romanum ſatis eſt poſſe videre ſolum. *Attulit Paſſerat. conjecturam,* Nec me thura juvant.

[3] *Ap. Annium legitur* tandem.

[4] *Ex uno dedit Editor Amſt. pro* percepimus.

[5] *Alii libri,* Vertuni vulgus credidit eſſe ſacrum. *Alii* creditur. *Paſſerat. At apud Annium* Vertumnum rurſum *leg. Neminem credo ſatis ſibi facere in quavis harum lectionum. Ego tentabam,* Vertumni rus hunc credidit eſſe ſacrum: *i. e.*

Prima

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.
Hic dulces ceraſos, hic autumnalia [1] pruna
Cernis, & [2] æſtiva mora rubere die;
Inſitor hic ſolvit pomoſa vota corona;
Quum pirus invito ſtipite mala tulit.
Mendax fama noces. alius mihi nominis index.
De ſe [3] narranti tu modo crede Deo.
Opportuna mea eſt cunctis natura figuris.
In quamcunque voles, verte; decorus ero.
Indue me [4] Cois; fiam non dura puella.
[5] Atque virum ſumpta quis neget eſſe toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno;
Jurabis noſtra gramina ſecta manu.

Homines ruſtici crediderunt hunc anni vertentis fructum ſacrum eſſe Vertumni. Facile fieri potuit Rurſum *ex* Rus hunc, *atque inde* Rurſus. *Sed amicus admonet legendum potius,* Vertumni fructum creditur eſſe ſacrum.

[1] *Ejectis prunis hic* poma *ſubſtituit Borrichianus, & noſter primus. male. Plinius L.* 15. *C.* 13. *quod agit de prunis:* Et hæc autem, & Perſica, & cerina, ac ſylveſtria, ut uvæ, autumno cadis condita, uſque ad alia naſcentia ætatem ſibi prorogant: reliquorum velocitas cito miteſcentium tranſvolat. *auctor Copæ:* Sunt & caſeoli, quos juncea fiſcina ſiccat: Sunt autumnali cerea pruna die. *Editor Prop. Amſtel.*

[2] *Pro* æſtivo *repoſitum ex Anniana editione. Cui ſit potius, alibi monui.*

[3] *Gebhard. è cod. Palatino* veranti.

[4] *Editiones primæ* Cæis *habent. Edit. Propert. Amſt. Cujus videndæ ad L.* 1. *El.* 2. *noſtri notæ. Quod tamen totam de* Ceis *&* Cois *litem certiſſime ait diremiſſe Salmaſium Exerc. Plinian. p.* 143. *mihi pro incerto eſt. quin &* Ceis *faveo.*

[5] Meque virum *al.*

Arma

Arma tuli quondam; &, memini, laudabar in illis
Corbis [1] in [2] impoſito pondere meſſor eram.
Sobrius ad lites: at quum eſt impoſita corona,
Clamabis capiti vina [3] ſubiiſſe meo.
Cinge caput mitra; ſpeciem furabor [4] Iacchi:
Furabor Phœbi, ſi modo plectra dabis.
Caſſibus impoſitis venor: ſed arundine ſumpta,
Faunus plumoſo ſum Deus aucupio.
Eſt etiam [5] aurigæ ſpecies Vertumnus, [6] & ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat; [7] hoc piſces calamo prædabor: & ibo
Mundus demiſſis inſtitor in tunicis.
Paſtorem ad baculum poſſum [8] curvare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre roſam.

---

[1] *Reddidit pro* & *idem Editor è quinque Libris & Editionibus primis; & probavit duobus Statii locis, & Virgilii iſto,* Horridus in jaculis & pelle Libyſtidos urſæ. *Addo quod ex Ennio Servius ibidem adduxit,* leveſque ſequuntur in haſtis. *nam Phædri locum,* Curſu volucri pendens in novacula, *aliter interpretor. Editio Paſſeratii,* at impoſito; *errore puto typographico.*

[2] *Suſpecta mihi vox propter ſequentem* impoſta; *aut propter hanc illa.*

[3] *Scaligeri liber* ſubeſſe, *& Editiones aliquot ex recentioribus.*

[4] Achivi, *editio Brixiana, & Annii; qui ſuo more mirificè interpretatur.*

[5] *Commel. Membr.* auriga ſpecies vertumnus & hælus. *Edit. Brix. & Venet.* ælus. *Edit. Rheg.* ælius. *Editor Cantabrigienſis. Alias legitur* & elus. *Paſſeratius.*

[6] *Lego* at.

[7] *Annius edidit* hic. *& ſic legere debuerant, qui interpunxerunt,* Suppetat hoc, piſces *&c.*

[8] *Feci pro* curare. *Paſſerat. è vet. libr. dedit.*

Nam

Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima [1] cura,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & [2] junco braſſica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante meæ.
[3] At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuiſti præmia Tuſcis,
[4] (Unde hodie [5] vicus nomina Tuſcus habet)
Tempore quo ſociis venit [6] Lucomonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tatî:
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hoſtes turpi terga dediſſe fugæ.
Sed facias divûm ſator, ut Romana per ævum
Tranſeat ante meos turba togata pedes.

---

[1] fama eſt] *Tribus è libris edidit* cura eſt *Amſteladamenſis. Interpretatur autem de obſequio adverſus uxorem Pomonam. Sed iſtorum locum diu eſt quod præteriimus. Nunc de oleribus agitur. quapropter intelligo curam quovis menſe multoties redeuntem ob infinitas prope ſationes meſſeſque hortenſes, præ quibus ſimplex & rara arborum cura. Porro delevi lubens τὸ* eſt *in Ann. edit. non deprehenſam.*

[2] vinco braſſica juncta *Edit. Brix.*

[3] Sic mihi *editio Annii.*

[4] *Incluſi hunc verſum parentheſi, ne non intelligerentur ſequentia.*

[5] Tuſcus nomina vicus *duo libri.*

[6] Lucomedius] *Al.* Lycomedius. *An dictus eſt* Lucomeddix? *inquit Paſſeratius, nam* Meddix *Oſcis magiſtratus: Feſtus. Noſter ſecundus habet* Lycomodius; *quod nonnihil firmat Joannis Goropii emendationem,* Lucumonius *reſtituentis. &c. Editor Prop. Amſt. At Annius edidit* Lucumonius; *ut igitur & reſtitui; re licet, fateor, magis, quam auctore, commendatum. Eundem infra, vix monitu dignum, ſic legi feciſſe,* Sat faciam divum ſator.

Nunc

Nunc Jovis incipiam cauſſas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus,
Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Hujus, & [1] exuviis plenus ab hoſte redis,
Tempore quo portas [2] Cæninum Acrona petentem
Victor in everſum cuſpide fundis equum.
Acron Herculeus Cæninâ ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus [3] horror erat.
Hic ſpolia ex humeris auſus ſperare [4] Quirinis
Ipſe dedit, ſed non ſanguine ſicca ſuo.
Hunc videt ante cavas [5] vibrantem ſpicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Juppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat, & ſpolium corruit ille Jovi.
Urbis virtutiſque parens ſic vincere ſuevit,
Qui tulit aprico frigida caſtra lare.
Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris;
[6] Et galea hirſuta compta lupina juba.

---

[1] *Al.* exuvio. *al.* eximio. *certè non ferendum, nedum præferendum.*

[2] Cæninum Acrona] *ſcribendum eſt* Cæninum, *id eſt Cæninenſem. nam Stephanus ipſam urbem* Καινίνην *vocat. deinde* Acronta *legunt noſtri libri, & Borrichianus, & Groninganus. quod & Paſſerat. & Scalig. ac Gebhard. in ſuis habebant. ita* dracontem *Attius dixit in Philocteta, à nominativo* dracon, *auctore Fl. Chariſio L.*1. *etiam in Phœniſſis dixerat idem poëta:* Ab dracontis ſtirpe armata exortus, genere antiquior. *quem locum ſervavit Non. Marcellus. ſic &* Cotiſontis *optimæ membranæ Horatii L.*3. *Od.* 8. Occidit Daci Cotiſontis agmen. *ubi hodie edunt* Cotiſonis. *Paſſeratius, & Editor Propert. Anſtelædamenſis, apud quem & plura legenda.*

[3] Hector *liber Scaligeri, cui valde placuit.*

[4] Quirini *al.*

[5] *Tres* librantem.

[6] Cui galea; hirſutis jubis: *& proximo* Picta neque, *ſinguli.*

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.
Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis cæde Tolumni,
Vincere quum Vejos posse laboris erat:
Nec dum ultra Tiberim belli sonus; ultima præda
Nomentum, & captæ jugera [1] terna Coræ.
Et Veii veteres, & [2] vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portæ dux Vetus astitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, [3] plano sistit uterque gradu.
Di latias juvere manus: defecta Tolumni
Cervix Romanos sanguine lavit equos.

---

[1] *Ita optime restituit Lipsius, cui assentitur Scaliger; cum, ut ipsi notarunt, vetus scriptura sit* terra *(ut apparet in Editt. nostris, Rheg. Brix. & Venet.) vel* trita, *(quod exhibet Edit. Bon.) sed omnem dubitandi ansam sustulit Heinsii v. c. ubi* terna *expressissime legitur.* pauca *certe interpolatoris cujusdam commentum est. Editor Cantabrig. Leg. &* parva.

[2] vos tum præda fuistis] *ita Groninganus. Lipsius è Vaticano libro legit,* Volscum regna fuistis, *L. 2. Ant. Lect. C. 20. quod posset facile admitti, siqua extaret memoria vel regni vel regum Volscorum. Sed reducenda est in suum locum certissima Bewaldi emendatio, haudquaquam arbitraria:* vos tum regna. *eam firmant libri regii, & Colbertini; duo Gebhardi, ac noster secundus; exhibente primo,* vos cum regna; *quod etiam in Borrichiano est. repetitionem, si de una Veiorum urbe sit sermo, quare Lipsius* indecentem *vocet, non video. magis puto compositam ad commiserationem. Et vos, ô nobiles Veii, & vos tum fuistis regna, qui nunc boum pascua. &c. Editor Propert. Amstel.*

[3] *Lectio satis defensa Gronovio ad Liv.* IV. 12. *nec recipienda pleno Lipsii conjectura; nec ex uno aut altero libro* gradum.

Claudi-

Claudius [1] à Rheno trajectos arcuit hoſtes,
[2] Belgica cùm vaſti parma [3] relata ducis
Virdomari. genus hic [4] Brenno jactabat ab ipſo,
[5] Nobilis erectis fundere geſa rotis.

[1] *Claudius Geſſatas, i.e. lingua Gallica* milites conductitios, *cum rege Virdomaro, à ſedibus ſuis prope Rhodanum, Inſubrium auxilio profectos, & Padum jam tranſgreſſos prope Claſtidium cecidit. Quid hic nobis cum Rheno? niſi volumus Propertium imperitiâ luſiſſe, meo judicio plus quam poeticâ. Neque hoſtes à Rheno ſunt, nec à Rheno arcentur, neque Rhenum uſquam trajecerunt. Paſſeratius pro* à Rheno *legendum conjiciebat* Eridano, *Guyetus optimè* Eridanum.

[2] Belgica, *inquiunt, pro* Gallica, *quia Belgium tertia Galliæ pars: & ferri poteſt, Geſſates ex illa parte licet non fuerint. Scaliger in libro ſuo invenit ſcriptum* Belligera vaſti; *unde fecit* Belligerans. vaſti. *Aliis placuit* Bellica; *ut & in Palat. membr. ſcriptum teſtatur Gebhardus. Ego neque illud, nec* cui, *Barthii pro* cum *conjecturam, in textum recepiſſem.*

[3] *Scaligeri liber* relicta. *& verſu ſubjecto* Virtomani *pro* Virdomari *at Ed. Brix.* Vricomanii. *Servio autem* Viridomarus, *Faſtis Capitolinis* Virdumarus *eſt: nam quod aiunt ſic & in Feſti Schedis haberi, falli videntur, & Vrſini conjecturam arripuiſſe pro textu; ubi legas* Viridomatus, *pro* Viridomarus, *ſcilicet, uti eſt in libro ejuſdem* 13. *Varie ſcriptum eſt id nomen in Cæſare quoque L.* 7. *bell. Gall. & Græca verſione. Tranſieram, quod monuit Editor noſtri Amſt. pro* parma relata *libros aliquot habere* palma relata, *atque alibi in eadem voce ſimiliter erratum.*

[4] *In vetere libro Paſſeratius legit* Brenno, *pro* Rheno, *prætulitque. illum intellige quo duce Roma capta eſt. Alium ſane Paſſeratius intellexit; ideoque flocci fecerunt, nulla in ipſum injuria, bonam emendationem.*

[5] Nobilis *unus. Deinde,* è rectis *alii; Lipſius & Livineius* è tectis rotis, *maluerunt: his aſſenſus eſt quem toties laudo noſtri Editor; multiſque commendatas voluit* tectas rotas. *nam ſunt fortaſſe, quæ contra diſſeri poſſint. Sed nunc propero; & ſatis habeam tutari receptam lectionem. Voluit exhibere poëta celſum ipſum celſis in rotis, ſic* è loco ſuperiore in venientes hoſtes tela conjicientem, *ut Cæſar de Helvetiis, pari ſcilicet re, è carris pro vallo objectis pugnantibus locutus Bell. Gall.* 1. E-

Illi

[1]Illi virgatis[2] jaculantis ab inguine brachis
Torquis ab incisâ decidit unca gula.
Nunc spolia in templo triâ condita. caussa Feretri,
Omine quod certo dux ferit[3] ense ducem.
Seu quia victa suis humeris[4] hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

---

rectæ utique rotæ idem sunt ac celsæ, *seu altæ*. *Virgil.* Insula Sicanium juxta latus Æoliamque Erigitur Liparen fumantibus ardua saxis, *Æneid.* 8. Alto colle minor, planis erectior arvis, Conspicuo clivus molliter orbe tumet, *Claudian. Apotheo.* Umbrosis medium qua collibus Apenninus Erigit Italiam, nullo qua vertice tellus Alcina intumuit propiusque accessit Olympo, *Lucan. lib.* 2. Jam jamque aut saxa malignis Expectat submersa vadis, aut vertice acuto Spumantes scopulos erectæ incurrere proræ, *Statius Theb.* 1.

[1] Ἀχχαϊκῶς, *pro* Illius. *Scaliger.*

[2] *Alia lectio, inquit Passerat.* jaculanti ex agmine; *unde faciebat ipse* jaculati, *quod & in uno libro inventum. Porro, libri aliquot* ab agmine *pro* ab inguine: *sed non facile, siquid video, recipiendum. Denique,* bracis, *non* brachis, *aut* braceis (*ut hic correxerunt*) *legendum docet G. Vossius.*

[3] *Pro* ante *fecit* ense *Scaliger, cum in libro suo haberet* ense latus. *Ad* ense *adfirmant & plures.*

[4] huc *proba editoris Propert. Amst. conjectura.*

FINIS.

BRITISH MUSEUM 24 NO 82

ADDEND.

VErsu à *millesimo* 289. Tunc mihi vita foret: vulgi nec tristia nossem Arma, nec audissem corde micante tubam. Nunc ad bella trahor. *Quid sunt* arma vulgi? *Nescio an corrigendum* Valgi. *Valgius cliens Messallæ, (qui comitem ad bella Tibullum trahebat) arma seu res gestas ejus cecinerat, credo; saltem pollicitus fuerat; materiam nostro minus gratam; cujus ipsius ista sunt in Panegyrico:*

Non ego sum satis (*malo* satus) ad tantæ præconia laudis;
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: æterno propior non alter Homero,